INDEX

RHETORICUS ET ORATORIUS,

Scholis, & Institutioni tenerioris ætatis accommodatus.

Cui Adjiciuntur

FORMULÆ ORATORIÆ, ET INDEX POETICUS.

Opera & Studio

THOMÆ FARNABII.

Editio noviſſima prioribus emendatior.

SENEC. 64. Epiſt.

Etſi omnia à veteribus inventa eſſent: hoc tamen ſemper novum erit, uſus & inventorum ab aliis ſcientia & diſpoſitio.

LONDINI,

Typis *Richardſonianis*, impenſis *M. Worton*, ad inſigne *Trium Pugionum* in vico vulgo nuncupato *Fleet-ſtreet*, & *G. Coniers*, ad inſigne *Annuli* in Strateâ communiter vocitata *Ludgate-Hill*, 1689.

Jacobus [redacted]

Col. Yal. Con

Illuſtriſſimo Viro,

Dominico Molino,

Senatori Veneto.

MAturius ſolicitare Gratias, ſelicius ciere Muſas, jamdudum oportuiſſe me ſenſi; & debui certe, tam gratis invitamentorum, tam Muſæis literarum beneficiis, neque privatis tantum iis, ab Excellentia tua toties cohoneſtatus: Sed & has invitas funeſtare, & illas præcipites traduiſſe me vereor, qui virum in excelſiſſima virtutum & honorum arce extra omnem ingenii aleam poſitum, à ſummo prudentiſſimæ Eloquentiæ faſtigio in ludi hujus Rhetorici pulverem, nec eruditum ſatis, devocare auſus ſim. Cujus ex præceptis, ſi, ut fabricæ hujus veſtibula honeſta eſſent, adituſque illuſtris, iniquam Nominis tui rationem habuiſſe viſus fuero; Tu pro ſingulari tua humanitate veniam indulge, ut ſi gratiam, quam indipiſci volueram, aſſequi neutiquam liceat, offenſam tamen eluctari detur. Quod ſi inter lemniſcatas illas tibi à tot claris ingeniis, Italis, Gallis, Belgis, delatas lauros, & noſtras haſce Helicone procul ſub Arctoo ſidere natas hederas non dedignatus ſerpere patiaris; ad uberioris gratiæ ſpem ales tenuem utcunque muſam illius, qui eſt, erit uſque

Excell. Tuæ ſervus humil.

THO. FARNABIUS.

Sam.ᵗᵉ Wells his book
Anno Domini 1704

AD LECTORES.

VErnulam è famulitio Rhetorico Troposchematologum ante annos viginti manu emiseram. Rudi quidem illum versu conditum; inconcinnum, fateor, & incomptum. Sed in quem, postquam publicum indeptus obtinuerat, jamque in precio esse, & lucelli aliquantulum spondere caperat, involavit plagiarius quidam; eumque, sub nullius nomine aut patrocinio errantem, in servitutem asseruit, suaque adscripsit familiæ, non cessurus ipsi patrono, peculium suum in libertatem secundum vindicias postulanti. Cujus editionem ut anteverterem, & frustratui haberem, videbam mihi properandum. Consilium itaque tanquam gladiator in arena cepi, & temere vel sic non pauca immutavi, alia quadam ejusdem generis adjeci, quæ olim à me congesta recensui, ex patribus majorum minorumque in hac arte gentium, Aristotele, Hermogene, Sopatro, Dionysio Halicarnassensi, Demetrio, Phalerio, Menandro, Aristide, Apsino, Longino, Theone, Apthonio, aliisque Rhetoribus & Sophistis Græcis, tum Cicerone imprimis & Fabio Quintiliano, nec non Martiano Capella, Curio Fortunatiano, Mario Victorino, Sulp. Victore, Emporio, Aur. Augustino, Ruffino, G. Trapezuntio, P. Ramo, L. Vive, Cypriano, Soarez, Jul. Cæs. Scaligero, Sturmio, Strabeo, Keckermanno, Alstedio, N. Caussino, J. Ger. Vossio, Andræa Valladero, aliisque innumeris. A quorum institutionibus sicubi recesserit hoc compendium; si in genere Judiciali, Inventione, Dispositione parcior visus fuero, pressiorque; scient juxta mecum eruditi non sine causa & ratione id factum: immutari quippe Oratoriæ scenam, in alio nos foro litigare, exolevisse causas forenses, quibus olim studebant & præparabantur juvenes; Demonstrativas & Suasorias delegari pueris, quibus instituendis hæc qualiacunque præcepta sunt accommodata. Proinde iis elaborandum diligentius in Elocutione & ejus partibus, propterea, quod invenire & collocare sententias, proprium sit ingenii magis & prudentiæ quam artis. Si ergo in præceptis de verborum delectu habendo, compositione, periodo, ornatu, stylo formando, acuendo, exercendo, fusior, prolixiorque fuerim, agnoscent consilium meum viri diserti; cui expediendo, si haud quaquam par cesserit facultas, ignoscent candidi. Nam quod oggannium Lucumones inepti inquientes. Quid loqueris nobis de præceptis artis & stylo? Nos non curamus ut puer consumat tam multum laborem & tempus, discere Linguam bestiæ, neque legere profanos autores

& poetas

& poetas qui fuerunt destructio multorum hominum. Erit sufficienter aptus ire ad Universitatem, si potest mediocriter intelligere Latine, & loqui congrue: *securus unice nil moror quid dicant, quid sentiant (dicunt tamen ut plurimum contra quam sentiunt, ultra quam intelligunt) malevoli isti ignarures, buccones maledici, qui inertiæ suæ velum sanctimoniæ obtendentes, autoritates suæ, si Diis placet, facibus scientiarum turbam summovent; artes omnes, tanquam profanas, atque simplici, quam profitentur, sinceritati officientes, a sacris suis arcent. Et quia vulpibus hisce caudam, fuge clavum, corporis ornamentum decurtaverit propriæ stupiditatis, inopiæ, aut pravitatis laqueus; cæteris etiam persuasum eunt, oneri hanc esse iis & impedimento. Verum enim vero ita demum rem suam sartam tectam volunt, si quod ex pelle Theologica desit, è cauda Pædagogica assuant. Memini, me puero multis adeo per transitorium hoc docendi forum patuisse iter ad sacra illa penetralia. Jam vero, Inverso rerum ordine & in Mandrabuli, quod dicitur, morem, præposteri & retrogradi cedunt. Namque ubi jam in Academia plus satis morati fuerint, ibique annorum potius progressu, quam animorum profectu stadia & spatia confecerint Milones isti, fidemque fecerint proverbio;* Posse eum ferre bovem qui vitulum tulerit: *Inde jam vel furcillis ejecti, vel nauseantis quasi Matris vomitu exputi, mox etiam & Ecclesiæ futuri propudia & rejicula, Sacris se sacramento obligant; quibus tamen se postmodo indignos, impares, & ineptos fatentur. Sive enim infirmitatis suæ deterriti conscientia; sive exhausta quam aliunde utendum sumpserant supellectile; sive quod iis ex animi sui sententia non cedat promotio, aut amplioris alibi fulgeat lucelli spes: stivæ sacræ, cui manum admoverant, renunciant, & post terga respiciunt. Quorum alii tanquam ἀμφίβια terra & aqua alternis victitant, culeo sane digni puericidæ, qui dividunt operas, quarum alterutra totum poscit hominem: alii prorsus deficiunt ab equis, ut aiunt,---- Dionysii, qui se impares regendis viris experti transferunt ad imperium puerorum. Sed & justum videri laborat defectum, causasque irreligiosæ religione invenit eorum ὑπόκρισις. Dii melius, quam ut illa sit hæc Rhetorica Actio! Non est. Imo nec contemplatio quidem; sed Factio & mera Dissimulatio: qua se insinuant mulierculis, quibus se viros approbant; & cerdonibus, quibus cœperunt esse in precio & verendi: deinde libidine quadam nativa, & sua, calumniandi, jacto hoc fundamento artis pessimæ, quam solam callent optime, Ne cujus famæ parcant; fore enim ut quamvis consolidetur vulnus, maneat cicatrix; nullius sibi meriti aut virtutis conscii, ex censura quam sibi assumunt, homines moribus improbi, studiorum rudes, literarum profani, expertes artium nisi sordidarum, audent de rerum summa, & in qua ipse felicitatis articulus, & recte vivendi cardo vertitur, juventutis nimirum educatione decernere & præscribere. Jamque in viros literatos, qui, dum publicum in privato agunt, de republica & literaria merentur optime, scholarum moderatores, clandestinæ calumniæ tragulam adornant, eorumque famam depeculatum eunt. Hunc tumidum nuncupant Pædantium*

dantium, proterva insolentem adolescentia, neque eum cujus gravitas ferociores à licentia deterreat; illum annis provectiorem & locupletiorem, quam qui laborem hunc ferre possit, aut etiam velit: Hunc supercilio tristi severum causantur, vultu tetrico austerum, esse suis terrori & odio; illum dissoluta comitate futurum discentibus contemptui & exemplo malo: hunc insimulant eruditionis parum probatæ; illum religionis suspectæ. Deinde ubi vident graphici isti Sycophantæ se clanculariis susurris detraxisse aliquid de aliorum fama, veneno huic aliquid de suo latice admiscent: operam pollicentur suam festivi & meraco scientiæ juxta atque sanctitatis incocti succo, artem venditant suam. Heu docentium impia, discentium misera conditio! ubi, dum foventur custodes isti à doctrina simul & pietate alieni, Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Sed modus sit. Neque enim è dignitate Artis aut Eloquentiæ est, iram utcunque justam distringere in pecudes inertes, animalia spurca, sacerrima capita: quorum nequitia tamen nihil iniquius, quorum imperitia nihil impudentius, quorum ignorantia nihil arrogantius. Neque si falsarios istos duces, hæreseos suæ convictos, in gyrum doctrinæ ducere posset recta Ratio velit tamen rude vulgus supra se sapere & injuriæ suæ litare: quin malit sibi os oblini & naso suspenses instar ursorum trahi, quam auribus duci ad saniorem mentem ab Herculis Ogmii catena. Decipiant ergo illi, desipiant hi cum venia. Vos autem si sapitis, Mercurialem admittite Indicem, qui vobis primum quidem una Synopsi & quasi per compendii transennam copias & opes Oratorias commonstret, deinde Partitiones Oratorias elucidet, mox digitum ad ipsos fontes intendat. E quibus plenos sumite haustus; ut seu Jurisprudentiæ foro, seu Theologiæ choro præparamini, Suadelæ virtute ac viribus instincti, relinquatis in audientium animis aculeum: Hermetis instructi, caduceo pectora mulceatis, animos regatis, doceatis, servetis. Quod ut fiat, transibunt præcepta in vota; ut benigno vobis dextroq; numine adsit Deus; Suadam, Gratiamque inspiret suam; vosque quos esse jussit Oratores, faciat.

THO. FARNABY.

INDEX

INDEX RHETORICUS.

RHetorica est facultas de unaquaque re dicendi bene, & ad persuadendum accommodate:

1. Officium est
- Delectare, Docere, Concitare
- ad
- conciliationem, fidem, movendos affectus
- gratia
- suavitatis, necessitatis victoriæ.
- Ubi requiritur orationis
- lenitas, acumen, vis.

2. Materia est, quæcunq; res sub disceptationem cadit, potestque persuaderi, Quæ & *Quæstio* dicitur; estque

vel.
- Simplex, unius scilicet thematis; ut; de *Virtute, conjugio, bello, pace.*
- Conjuncta; Pronunciati alicujus quod argumentis probatur: eaque
  - Infinita, Thesis: quæ universaliter quæritur; ut, *An ducenda sit uxor.*
  - Finita, Hypothesis: quæ universalem restringit ad circumstantias; ut, *Sitne Philosopho, seni, indotata, extera, uxor ducenda.*

Atque Finita hæc quæstio est materia oratoris maxime propria. Verum examinandi, explicandi, ornandiq; causa, hanc orator subinde revocat à Finita, circumstantiis suis exuta, ad Infinitam: ut in Practica & Civili quæstione excurrit aliquando ad Theoreticam.

Cujus Hypothesεon seu Finitarum Quæstionum tria sunt genera:
- Demonstrativum, quod in laude aut vituperio versatur.
- Deliberativum, quod in futuri temporis provisione suadet aut dissuadet.
- Judiciale, quod in præteriti disceptatione accusat vel defendit.

quorum proposita sunt
- Honestas, Turpitudo.
- Utilitas, Inutilitas.
- Æquitas.

finis.
- Delectatio, aut Detestatio.
- Spes, aut Metus.
- Clementia vel Sævitia.

- Corporis, Vox sonora, distincta, suavis; latera firma; Oris, totiusque corporis venustas & spectabilitas.
- à Natura, eaque
  - Animi,
    - Ingenium, ad excogitandum acutum & sagax, ad explicandum facile, ad studia incitatum & docile, firmum atque diuturnum ad Memoriam, quæ à Natura & Exercitatione potius est quam ab Arte, Judicium solidum, & Discretio.
- Ab Arte, quæ tradit præcepta
  - Inventionis, quæ excogitat argumenta ad persuadendum idonea.
  - Dispositionis, quæ res inventas discernit, apteque per partes distribuit.
  - Elocutionis, quæ res inventas dispositasque exornat flore verborum, & lumine sententiarum.
  - Pronunciationis, quæ cum vocis apta modulatione & corporis gestu orationem profert.
- Ab Exercitatione, quæ assiduitate Legendi, Commentandi, Scribendi, Variandi, Imitandi, & Dicendi Naturam Artemque perficit.

Inventio.

Inventio est excogitatio argumentorum, quæ ad persuadendum sunt idonea. Argumentum est probabile Inventum ad fidem faciendam.

Agumenta

Argumenta sunt Ἔντεχνα Artificialia.

Ad Fidem, ex locis docentibus λόγοις
- Certis, unde fiunt Demonstrationes.
- Ratiocinantibus à Causis, efficiente, materiali, formali, & finali; ab Effectis, Subjectis, Adjunctis, Definitione, Divisione, Genere, Specie, Toto, Partibus, Comparatis, Paribus, & Similibus, Oppositis, Relatis, contrariis, privantibus & contradicentibus, &c, quorum disciplina petenda à Dialecticis.
- Probabilibus, & verisimilibus.

Ad Motum, ex locis Patheticis, quæ versantur in
- Excitandis vel sedandis affectibus; Amore, odio, ira, contemptu, lenitate, metu, pudore, gratia, misericordia, indignatione, invidia, æmulatione.
- Summi erit artificis, nosse; Qui & erga quos; & quibus de causis, hoc vel illo affectu soleant homines commoveri.

Ad Conciliationem, ex Motibus
- Oratoris: In quo requiruntur; Prudentia, Probitas, Benevolentia, Modestia.
- Nationis, aut Civitatis in qua degit. Respiciat ergo in
  - Republica, libertatem.
  - Democratia, legum disciplinam.
  - Aristocratia, divitias.
  - Monarchia, custodiam Principis.

Auditorum, qui differunt
- Affectibus; ira, lenitate, misericordia, lætitia, spe, dolore, metu, odio, æmulatione, &c.
- Habitibus; virtutibus & vitiis.
- Ætate; juventute, senectute.
- Fortuna; qua nobiles, Potentes, divites, fortunati, &c.

Ἄτεχνα.

Ἄτεχνα, *Inartificialia.* Quæ non parit ars Oratoris, ſed aliunde ad ſe delata tractat; cujuſmodi ſunt Teſtimonia Divina, Oracula ſc. & vaticinia, vel Humana: atque hæc vetera, ex Autoribus recepta proverbia, ſententiæ, apophthegmata; aut nova, ore tenus, juſjuranda, aliaque Inſtrumenta forenſia, Leges, Pacta, Teſtes, Tabulæ, ut & Signa, Circumſtantiæ, exempla; quorum copia inſtructus debet eſſe Orator.

Trium generum communes loci ſunt.
- Poſſibile & Impoſſibile, ut doceatur potuiſſe aut non potuiſſe fieri.
- Magnum & parvum, ut oſtendatur Comparative, aliud alio eſſe utilius, honeſtius, &c.

Fidem tantum facere, præ ſe ferendum eſt: Conciliatio & Motus in exordio quidem & Peroratione proprium habent locum; ſed in perpetua oratione, ſicut ſanguis in corpore, fuſa eſſe debent.

De Genere Demonſtrativo.

Perſonæ,
- à Perſonæ locis & circumſtantiis.
  1. Admirabilibus, quæ divinitus miſſa, prodigiis, auguriis ſeu oraculis, ſignificata præceſſerunt. 2. Patria. 3. Genere ſeu natalibus. 4. Sexu 5. Singularium ætatis partium inſtitutione, educatione, diſciplina, ſtudiis, conſiliis, rebus geſtis. 6. Morte & eventis poſt mortem, jactura & luctu.
  Fortunæ: ut ſunt, opes, honores, amici, affines, liberi.
  Corporis: qualia ſunt, forma, robur, valetudo, agilitas, corporis habitus.
- à Tribus generibus bonorum.
  Animi: ſunt ejus bona
  - Inſita; indoles, ingenium, judicium, induſtria, docilitas, memoria.
  - Acquiſita; virtutes.
    - Moris; Juſtitia, Temperantia.
    - Mentis; Prudentia, Fortitudo.

Laudantur:

Laudantur : aut à contrariis vituperantur.

Atque in his explicandis ſequendum aut ætatis atque rerum geſtarum ordinem, aut virtutum diſtributionem & certa rerum capita: Hic, *Artificialis*, ille *Naturalis ordo* dicitur.

Virtus ſola per ſe ipſa laudabilis eſt, ſine qua nihil recte laudari poteſt: Auditu vero jucundiora ſunt, quæ aliis fructuoſa, ſibi laborioſa; aut certe gratuita. Natura & Fortunæ bona tractantur, quod in eorum uſu ac moderatione virtus maxime cernitur, prout quis iis recte vel male uſus ſit: ſi non habuerit, ſapienter cartuiſſe; ſi amiſerit, moderate tuliſſe.

Cautio eſt, ne mentitas laudes adſciſcamus, neque iis quæ multis competunt, aut rerum leviorum laudationibus immoremur.

Facta { Ab honeſto; qui proprius eſt Demonſtrativi generis locus, continetque Decorum, Legitimum, *i. e.* æquum in homines, pium in Deos, Juſtum & Glorioſum; ab utili, Difficili, & cæteris Deliberativi generis locis, quos vide ſuo loco.

A Circumſtantiis; Perſona, Re, Cauſa, Tempore, Loco, Modo: unde Amplificationi præbeatur anſa: quod quis primus fecerit, aut ſolus, aut cum paucis aut præcipue, aut tempore maxime neceſſario, aut ſæpe, &c.

Res, ut loca, regiones, urbes: & animi habitus, virtutes. { A cauſa efficiente, & Definitione: ab antiquitate, origine, honeſtate, à ſingularibus cujuſque rei aut loci virtutibus, ſitu, amœnitate, utilitate, voluptate. Subjectis item, adjunctis, effectis.

Et Comparative inter ſe tractantur Perſonæ, Facta, Res, idque vel { Collatione ſimilium. / Contentione diſſimilium.

Hæc oratio ad populum habita, ad animi motus non ad fidem faciendam accommodata, expositionem factorum, non argumentationem requirit: Estque illustranda verbis insignibus, translatis, floridioribus: nec non luculentis per διατύπωσιν expressionibus, digressionibus, amplificationibus.

Amplificantur Res & Facta, 1. Ascendendo ab Hypothesi ad Thesin: vel contra. 2. Individuorum exemplis illustrando, quod generatim dictum est. 3. Circumloquendo, per definitiones, aut descriptiones, easque conglobando. 4. Usurpando species aut partes pro toto. 5. Adjiciendo causas, effecta & accidentia. 6. Comparando à simili aut dissimili, pari aut impari. 7. Ab oppositarum & inter se pugnantium rerum conflictione. 8. A testimoniis stipatis condensatisque. Vide Amplificationem infra in Confirmatione.

Arist. Rh. l. 1. c. 9. Aut. ad Heren. 2. l. Cic. de Invent. II. Cic. Partitiones. Quint. 3. l. 9. c. Menand. Rh. γενεθλίων διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν. M. Capella 5. l. Theon. Apthonius, R. Hiperius. 2. Soar. l. c. 42. Voss. l. 2. c. 15. Al. Or. l. 4. c. 6. Caussin. l. 10. qui & exempla adjicit, ut & Dresserus & Vossius.

a *De genere Deliberativo.*

Deliberantur, id est, suadentur aut dissuadentur res quælibet contingentes, & positæ in nostra potestate: Publice vero, Pecuniæ ceu vectigalia, Pax & Bellum, regionum Præsidia, Quæ exportantur aut importantur, Leges in deliberationem veniebant.

a Arist. Rh. l. 1. c. 4. Author ad Heren. 2. l. Cic. de Invent. 2. l. de Oratore 2. l. Quint. l. c. 10. Emporius. Rh. M. Capell. 5. l. Soarez. l. 1. c. 10. Dress. l. 1. p. 216. Caussin. l. 12. c. 1. Hier. c. 3. p. 333. Voss. 1. l. 5. c. Alst. Or. l. 4. c. 6.

Loci sunt:

- Honestum: de quo, in Genere Demonstrativo.
- Utile: ex laude natum, semperque cum dignitate conjunctum, consistit in conservatione præsentium & comparatione sequentium commodorum: atque in eorum, quæ his contraria sunt, evitatione. Atque hic locus Deliberativi proprius est.
- Necessarium, quod aliter fieri non potest: vel sine quo salvi esse non possumus.
- Jucundum: quod delectationem voluptatemque animi aut corporis, aut utriusque adfert.
- Eventus: cujus profectio & consideratio testatur Dilemmate.

Facile:

Facile: quod comprehenditur sub Possibili, generali omnium causarum Loco.

Dialectici: à proprio, adjuncto, ab effectis, ab antecedentibus, connexis, consequentibus, comparatione, à majori, minori, contrario; à testimonio: Maximè autem figuli nominantur, quasi familiam ducunt, atque utramq; faciunt paginam Exempla, si appositа sint, neque ex iis solis constet oratio.

a *De Genere Judiciali.* a *Arist. Rhl.* 1. c. 3. *Auth. ad Heren.* 2. *lib. Cic. de Invent.* 2. *l. de Orat. Quintil. l.* 3. *c.* 11. *Capella. l.* 5. *Grot. l.* 4. *c.* 1. *Kecker. lib.* 1. *Sp. Rhet, c.* 9. *Voss. l.* 1. *c.* 6. *Causs.* 12. *l.* 13.

Accusator reum arguat facti quod in controversia positum est.

Depellat defensor, oppugnetque aut
1. Non esse factum.
2. Si factum fateatur, non eam vim, non id nomen habere, non id esse quod criminetur.
3. Jure id esse factum.

Ex accusatoris aute m intentione & defensoris depulsione nascitur Status
1. Conjecturalis.
2. Finitivus.
3. Qualitatis seu Juridicialis.

Reperto Statu, subjiciet Reus rationem, quam depellendi causâ adfert.

Accusator contra adferat firmamentum, quo Rationem illam infirmet.

Ex rationis autem & firmamenti confectione Judicatio constituitur, in Finitivo, & Qualitatis statu.

b 1. Status Conjecturalis, in quo quæstio est: An res facta sit, necne? b *Cursus* περὶ διαφορᾶς *status. Hermogenes* περὶ στάσεως. *Auth. ad Heren. Quint.* 3. *l. c.* 6. *M. Capell.* 5. *l. Fortunatianus. l.* 1. *Sulpic. Vict. Alcuinus, Cassiodorus, Soarez. l.* 2. *c.* 11. *Alst. Or.* 4. *l.* 7. *c. Voss. l.* 1. *c.* 6. *Causs. lib.* 2. *c.* 39. *Valladerius lib.* 7. *disp.* 2.

Arguat

Arguat Accusator à
- Causâ
  - Impulsiva: ira, odio, avaritia, invidia, inimicitiis, aliisq; affectionibus. Atque hic persona cum suis circumstantiis diligenter excutiatur.
- Ratiocinante à
  - Spe bonorum, præmii, voluptatis, honoris, &c. Cui bono fuisset.
  - Evitatione malorum, incommodi, infamiæ, &c.

Facultate; in occasionibus, spe perficiendi, celandi, impunitatis: circumstantiis rei, loco, tempore, nec non circumstantiis personæ, de quibus supra in demonstrativo genere.

Signis; quæ sunt dicta aut facta antecedentia, consequentia, vel cum ipsa re cohærentia: quæ nocentes comitari fere solent, quasi indicia & impressa facti vestigia. Fuga, trepidatio, verba tertiata, vultus dejectus.

Defensor
- Infirmet Causas & Facultates.
- Diluat & refellat Signa & Consequentia, Absolutione vel Inversione.

2. Status Finitivus, in quo quæstio est de nomine rei, & quid sit.

Definiat uterque, quam maxime potest, ad communem sensum, ac vim verbi; deinde adductis similibus exemplisq; aliorum qui ita locuti sunt, suam definitionem, sententiamque confirmet, & contrariam infirmet.

Accusatori locus est: Minime concedendum ut is, qui de re confitetur, verbi se interpretatione tueatur.

Defensor æquitate nitatur: & ea cum secum faciat, non re sed verbi depravatione se urgeri queratur, Quo in genere utetur Similibus, Contrariis, Consequentibus.

3. Status Qualitatis seu Juridicialis, est vel
- Rationalis, de jure facti. (b)
- Legalis, de sententia legis aut scripti. (c).

(b) Defen-

(b) Defendat Reus.

- Absolute: cum simpliciter quod factum est, recte factum esse defendimus: jure scilicet naturæ, legis, consuetudinis, judicati, æqui, pacti.
- Assumptive
  - Comparatione: cum alterutrum necesse fuerit fieri; hoc satius.
  - Relatione: cum culpa transfertur in ipsum qui malum accepit.
  - Relatione: cum culpa rejicitur in rem aliam, legem, vel personam.
  - Concessione: cum non defendit factum sed ignosci sibi postulat.
    - Purgatione: qua excusat factum esse non voluntate, sed Necessitate, Fortuna, vel Imprudentia.
    - Deprecatione: à meritis & spe futura.

(b) Legitimi species sunt.

- Leges contrariæ: cum lex eadem secum, vel duæ leges inter se videntur pugnare.
- Scriptum & sententia: cum scriptoris voluntas à scripto videtur dissidere.
- Ratiocinatio: cum quod nulla propria lege cautum est, ex aliis conjicitur.
- Ambiguum: cum scriptum plures accipit sententias, dubii accentus, aut vocis divisæ junctæve ratione.
- Translatio: cum res accusatorem, judicem, tempus, locum mutandos dicit.

Atque hactenus quidem de tribus generibus universè & in genere: habent tamen sibi subjectas alias species, quæ particularem considerationem & disciplinam desiderant.

Panegyrica vetus. In qua laudatur qui ludo præest. 2, Gens vel urbs. 3. Certamina & ludi, cum ortu eorum, comparatione cum aliis, loci & temporis ratione. 4. Præmia. 5. Princeps certaminum præses. 6. Voto denique clauditur, Panegyrica nova, exorsa ab occasione quæ nos ad dicendum movit, progreditur ad Principis laudationem ex locis Demonstr. ad publicæ felicitatis prædicationem, clauditur voto & exhortatione ad lætitiam, obsequium, & concordiam.

Vide Dionys. Halicarnassensis τέχνην περὶ τῶν πανηγυρικῶν. *Menandri Rhetoris* γενεθλίων διαίρεσιν τῶν ἐπιδεικτικῶν. *J. Cæs. Scalig.* 3. *l. poet.* 100. *c. N. Causs.* 10. *l.* 9. *cap. & J. Ger. Vossium l.* 2. *Institut. Or. c.* 13. *& l.* 2. *Partitionum. c.* 17. *Vernul. c.* 5. *l.* 2.

Nuptialem,

Nuptialem, ut & Epithalamium, auspicamur à Diis Genialibus, naturæ & legum instituto; conjugii mox enumerantur commoda, privata, publica: laudatio sequitur sponsi, & sponsæ: concipiuntur vota utriusque nomine, ut fœliciter cedant nuptiæ mutuo amore constantique junctis, ut videant liberos, nepotes, & qui nascentur ab illis; super quibus etiam omen, præsagium, & votum.

In Natalitia, sive quis sit prole recens auctus, sive provectus ætate macletur oratione anniversaria, respicitur tempus nativitatis, annus, mensis, dies, hora, locus; virtus parentum, familia. Subsequitur spes, gratulatio, precatio, & votum.

Funebris orditur à querimonia, exclamatione, aut interrogatione, ratio deinde personæ ad quam dolor pervenit, habetur; laus defuncti ex locis Demonst. generis; mortis genus; desiderium, cujus testes dolor & luctus; his subjicitur consolatio.

Gratiarum actio, beneficium acceptum læta agnoscit; amplitudinem & commoditatem ejus prædicat atque amplificat: spondet vicem referendi parem gratiam: aut, id si minus supperat, animi grati memorisque officium: adeoque ad vota confugit.

Propemptica, Apopemptica, Hodœporica, Monitoria, Suasoria, Adhortatoria, Consolatoria, Consultatoria, Petitoria, &c. carmine frequentius & epistolis quam orationibus celebrantur. Eorum itaque præcepta cum exemplis expressis aut citatis videbit qui volet apud Menandrum Rhet. Dionysium Halicarnass. Erasmum, libello utilissimo de conscribendis Epistolis: Julium Cæs. Scaligerum 3. lib. Poetices cap. 303. & 304. J. Lipsium de re Epistolica. Bar. Keckerman. lib. 1. Rhet. Special. cap. 14. &c. J. Ger. Vossium lib. 2. Institut. Orat. cap. 13. & Partition. l. 2. cap. 19.

(a) *Dispositio.*

Invenire præclare, enunciare magnifice, interdum etiam barbari solent: disponere apte, commode, varie, nisi eruditis negatum est. Pulsatis itaque omni-

(a) *Arist. Rh. l. 13. c. Hermogenes περὶ εὑρέσεων τομ. ά. Cic. de Inventione, l. 1. & ad eum, Marius Victorinus. Cic. de Oratore l. 2. Partitiones Cic. Quintil. l. 7. Fortunatianus, l. 2. Sulp. Victor. p. 4. 7. Martianus Capella. 5. l. p. 179. ex ed. H. Grotii, Soarez. 2. l. 1. c. 2. Dresserus l. 1. p. 52. Hiperius 4. 405. Kecker. Syst. Rh. lib. 1. p. cap. 9. Caussinus 6. lib. Vossius 2. lib. 1. cap. Vallad. l. 4. disp.*

but

bus omnium locorum, tam qui circumſtantiarum & cauſarum ſingulatim proprii ſunt, quam dialecticorum & communium, foribus ſuis trataq; omni materiæ ſylva; ubi ſupellectilem congeſteris variam, eamque vel memoriæ firmiter impreſſam, vel una chartæ facie, quaſi, ſynopſi, delineatam tibi ſubjeceris; acre adhibendum eſt judicium, conſilium ſolidum, & electio accurata. Rejiciantur omnino quæ levia ſunt, utpote vitioſa, aperte falſa, contraria, communia, futilia. In iis etiam quæ adhibenda videntur vel ad probandum vel ad movendum, delectus eſt habendus, proprius cuique locus aſſignandus: ut firmiſſima quæq; ſint prima ad conciliationem, ubi auditor maxime attendit expectatque: æque valida reſerventur in exitum ad victoriam; quia quæ poſtremo dicuntur maxime inhærent: mediocria in medium agmen conjiciantur, ſpecie & numero pugnatura.

b Diſcernendum itidem, ut quod boni habet cauſa, id exornes, ibi tabernaculum conſtituas, ibi commoreris: ſi quid habet cauſa vitii, id vel diſſimules; vel, ſi quid cauſæ fauces premat, totum illud bono tuo exaggerando obruere labores; caveaſq; ne tanquam prævaricator in hoſtium caſtris verſeris, neq; veluti deſertor terga vertas; ſed vel locum ſtrenue tueari, vel cum ſpecie quadam & pompa dicendi recedas, teque eo conferas, quo vel argumentanti, vel concilianti, vel permoventi patet confugium.

b *De diſponendis argumentis Julius Severianus. Antonius apud Ciceronem 2. de Orat.*

c Diſponat autem Orator rem ſuam, vel ex { Arte, quæ, præſcribente ipſa Natura, docet præfari, exponere, noſtra probare, contraria refutare, concludere. Judicio; quod, dictante Prudentia, artis ſuperſtitionem & partes, prout poſtulant circumſtantiæ, tranſponit vel etiam omittit.

c *De judicio & conſilio Quintil. 6. l. 6. Fortunatianus 3. l. p. 69. Sulp. Victor. p. 246. Aſt. Orator. l. 1. cap. 15. Vallader. 4. d. diſp. c.*

Orationis partes traduntur *d* ſex: Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio;

d *Sunt qui ſtatuunt quinque partes, ſunt qui quatuor, & in contentione includunt propoſitionem, confirmationem, & confutationem.*

Exordium.

Exordium.

Cic. 3. de Or. præcipit post omnia de Exordio cogitandum, contra Fab. 3. l. 12. c. & Vall l. 4. dis. 3. 9. 3. δεῖ πάντος πρωτιμίου ἥξιν πάσαν μερῶν συνίστημι ἐν πεντάσσως καταλαμβάνει, ἀποδόσεως, βάσεως, *&c. Hermogen.* δεῖ ἐμφάσεως, τόμ. ά.

Causa diligenter persecta, lociſque inventis, conſiderandum ultimo loco quod in primo ponendum eſt, quo ſit utendum Exordio. Nimirum, ut non ſit alienum à cauſa & quæſtione, non commune quo adverſarius uti poteſt; non grande & inflatum, non vulgare, non affectatum, non longum: neque vulgi ſententiam, neq; tamen artificii oleat myrotheca: verum ut ex re nata, & ipſis cauſæ viſceribus ſumptum, ſit accuratum, acutum, inſtructum ſententiis, floridum verbis, cauſæ proprium, verecundum, conciliationi natum, circumſtantiis accommodatum, ſequentibus connexum. Veſtibula, honeſta ſint, adituſque illuſtres.

De ratione conficiendi Exordii & cæt. partium Orationis in omni genere, vide Valladium, l. 8.

Eſtque
- Principium; quo in cauſa Honeſta ſtatim & aperte Benevolentia, Attentio, & Docilitas parantur.
- Inſinuatio: qua, in cauſa Turpi, Dubia, Humili vel obſcura, turpitudinis partem diluimus, profeſſique nos dicturos de rebus magnis, neceſſariis, novis, utilibus, jucundis, præparamus Auditores, reddimuſq; benevolos, attentos, dociles.

Dicturque in genere.
- Judiciali, à Perſona (*a*) Oratoris, (*b*) Rei, (*c*) Judicum, Auditorum, (*d*) Adverſarii, a Prolepſi, cum ea quæ obſtare poſſunt orationi, præoccupantur, amoventur, & ſolvuntur; vel etiam ipſa Re.
- Deliberativo, à Criminatione Depulſione Amplificatione, Diminutione, vel Ornatu.
- Demonſtrativo, à Laude, Vituperatione, ſpecioſa aliqua hiſtoria, naturali obſervatione, Fabula, Similitudine, Contrario, Apophthegmate, Sententia, Exemplo, Alluſione, vel generali pronunciato; unde ad propoſitam Quæſtionem commode tranſeatur.

(*a*) *Qui ſi vir bonus creditur, non ſtudium Advocati videtur afferre, ſed pene teſtis fidem. Exiſtimetur veniſſe ad agendum ductus officio aliquo, vel neceſſitate, &c. Quintil. 4. l. 1. c.* (*b*) *In Reo commendatur dignitas, infirmitas, merita. Multum agit ſexus, ætas, conditio.* (*c*) *Mores judicum velim noſci. Nam prout aſperi, lenes, jucundi, graves, duri, remiſſi erunt, aut aſſumere in cauſam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua repugnabunt, oportebit.* (*d*) *Adverſarii perſona prope eiſdem omnibus, ſed contrario ductis, impugnari ſolet. Nam & potentes ſequitur invidia, & humiles abjectus, contemptus, & turpes ac nocentes odium.*

Narratio.

Narratio.

Narratio est rerum gestarum utilis ad persuadendum id quod intenderis commemoratio; sedes & fundamentum fidei, atq; argumentorum seminarium.

In deliberativo, ubi de futuris consultatur, supervacua est Narratio, nisi quæ extrinsecus incidat: ut & in Demonstrativo, quæ continua quasi Narratio est. In judiciali etiam omittitur, sicubi parum pro nobis faciat, aut ante innotescat. (a)

Narrationis virtutes; vitia, typos expressos, atque exempla vide apud Caussinum, lib. 6. Eloq. Humana.

(a) *Si adversarius prior narraverit, non ita ut qua acta sunt, nude, sed rem exasperavit, adjecitq; invidiam: eodem modo exponemus, alias causas, alias circumstantias referemus. Verbis elevare quædam licebit.*

Sitque

- Perspicua; verbis propriis & usitatis, ordine temporum, prout res gestæ sunt, servato: non interrupta.
- Verisimilis; circumstantiis naturæ, legi & moribus consentanea, ad rumorem & opinionem accommodata.
- Suavis; quæ contineat nova, inexpectata, magna, gravia, exitus jucundos.
- Brevis; re non altius petita, non extra causam: ita tamen ut nihil desit.

(a) Narratione expositâ licebit excurrere in lætum aliquem & plausibilem locum, quæstioni prævium, aut rei amplificandæ animisque excitandis idoneum, sed caute & modeste, ne materiæ modum excedamus, aut tædio auditores satiemus.

(a) Δεῖ αἱ ἡ ἐκφυλοι αἱ παρεκβάσεις, &c. *Longinus. c.* περὶ φαντασίας. *De egressione Fabius 4. l. 3. c. & Val. l. 4. dis. 3. quæst. 13. & eundem de Transitionum varietate, l. 4. disput. 2. quæst. 1.* παρέκβασις *est alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio, Quintil. l. 4. c. 3.*

Propositio.

est vel

- Simplex; qua status & summa totius causæ breviter comprehenditur.
- Sejunctio; quæ tantum in genere Judiciali adhibetur per quam statuimus quid nobis cum adversario conveniat, & quid in controversia relinquatur.
- Partitio; qua in omnibus causarum generibus uti licebit: qua enumeramus, quot & quibus de rebus simus dicturi, atque is ut plurimum in dicendo servabitur ordo, qui hic exponitur.

Facillime auditor discit, & quid agatur intelligit, si neque prudentiam ejus impedias confusione partium, neq; memoriam multitudine. Cic. Partit.

Partitio

Partitio, commendatur brevitate, absolutione & paucitate partium, trium scilicet, aut ad summum, quatuor.

Confirmatio.

Etsi fidem tantum facere præ se ferendum sit oratori: quoniam tamen duæ sunt animi auditoris partes in quibus tractandis versatur flexanima & ψυχαγωγὸς Ἰδέα, *Intellectus*, qui, quasi animæ oculus, reficiendus est colore; illustrandus est lumine rationis & veri, quod proprium est Intellectus pabulum; & *Voluntas*, quæ tactus more, mollium rerum aut durarum oblatione flectitur trahiturque: huic venit ut causa quandoq; cadat orator nihilq; consequatur, si Voluntas, quæ libera est, neq; statim obtorto collo in jus rapitur, cervice quasi obfirmata non obsequatur. Quocirca caduceus iste geminis armandus est anguibus, qui inter vestes lapsi & levia pectora, volvantur attactu nullo, fallant sensus, se in mentis intima præcordia insinuent, & quem volunt affectum ossibus ac medullis implicent. Neque enim Oratori satis erit Dialecticis lacertis, utcunq; validis, mittere ferro præfixas hastas; nisi & eas artificii nitore exornet, (*a*) Motus amento instruat. Arida illa argumentorum ossa, corpus firmamentorum exangue, horridum quali nudarum rationum sceleton, ne tædio sint & terrori, Argumentationum carne investiat Orator, Motuum nervis firmet, Delectationum musculis solidet, Artis succo & sanguine distendat. Confirmandi itaque sibi comparet cum Materiam tum Formam. Materia, sunt (*b*) Argumenta, hoc est, probabilia inventa ad faciendam fidem, quæ non secus atque metalla è fodinis, aut pharmaca ex Apothecis suis singula, peruntur è Locis Insitis & assumptis, Artificiosis & artis expertibus, Dialecticis & Rhetoricis certis, probabilibus, atq; verisimilibus (*c*) Circumstantiis, de quibus supra in præceptis Inventionis & generum singulorum dictum. Neque solum ex armamentariis Dialecticorum promat argumenta quæ Doceant: sed & ex Ethicorum fontibus atque

(a) *Ut faveat Oratori is qui audit, movendi sunt Affectus, Latitia, Dolor, Spes, Timor, Amor, Odium, Ira, Mansuetudo, Gratia, Contemptus, Invidia, Commiseratio, Indignatio, Æmulatio.*

(b) *Quid Argumentum distet ab Argumentatione, & de speciebus Argumentationis, vide Jul. Scalig. l. 3. poetic. 70. De inven. arg. & Locis, Cic. de Invent. l. 1. & 2. Atque ad eum Marius Victorinus 2. de Orat. Topica ad Trebatium. Auth. ad Heren. 1. & 2. Quintil. 5. l. 10. c. & 13. Mart. Capel. 5. l. p. 154. Soarez. l. 1. c. 12. & c. Dresserus l. 1. pag. 46. Hiper. c. 2. Vess. Inst. l. 1. c. 2. Causinus l. 4. c. 2. Val. 3. disp. 4.*

(c) *Hermogenes, περὶ εὑρέσεως, τόμ. 3. c. περὶ ἐπιχειρημάτων. Theon. περὶ διηγήματος, Val. l. 3. disp. 3. qu. 3. & Rhetores omnes.*

Rhe-

Rhetorum hauriat quæ concilient, quæ moveant: Ne fit Hotpes in Humanitate neque peregrinus domi, sed norit omnino (a) mores, qui dicentem deceant, qui Reip. in quâ degit, iis apud quos dicit, insideant, vel à natura insiti, vel ab ætate aut fortunis quasi acquisiti. Noris Affectuum maria, quibus quæq; ventis concitentur, sedentur: discernat, qui affectus, in quantum, quibus, & erga quos, sint movendi, quibus de causis, & qua ratione incitantur animi facultates Concupiscens & Irascens, ad appetendum ea quæ videntur bona, ad aversandum ea quæ apparent noxia; quomodo dissonatur ad ea vel præsentia vel absentia, Amore, Gaudio, Odio, Dolore, Spe, Ira, Metu; dominari sciat in affectuum regno atque *fædere certo, Et premere & laxas dare habenas*, ut ait poeta: hoc est, in lætitia dilatare corda audientium, in mœrore contrahere.

(a) *De Mor. Affectibus παθῶν, lenibus & gravibus, & de iis movendis. Arist. 2. l. Rhet. totus. Hermog. μεθοδ. δεινότ. Apsini τέχνη ῥητ. Aut. ad. Her. 2. & 3. l. Cic. de Orat. l. 2. Quint. 6. l. 3. c. & 12. l. 2. c. Mart. Capel. 5. l. 162. P. Keck. ὑπ. Rhd. l. c. 9. & c. Rh. Eccl. l. 1. c. 3 Jul. Sev. Dresse. l. 1. p. 109. Hiper. c. 10. P. 422. Voss. Inst. l. 2. totus. Caus. El. l. 8. Val. 1. 3. disp. 4.*

(b) *Jul. Sc. l. 3. Poet. c. 70.*

(b) Argumentationis ergo, quæ tractandi argumenti est forma, varia sunt genera: perfectissima tamen atque usitatissima ex iis sunt, Epichirema sive Syllogismus Rhetoricus, Enthymema, Inductio, & Exemplum, atq; hæc quidem versantur circa Fidem, docent probantque: circa Affectus vero commovendos, illa quæ Amplificatio dicitur.

(c) *Hermogenes περὶ εὑρέσεων. τομ. γ. περὶ ἐπιχειρημάτων ἐξ ἀτέχνου. & Minuc. l. περὶ ἐπιχειρημάτων. Auctor ad Heren. l. 2. Quint. 5. l. 14. c. Soarez. l. 217. c. Dress. l. 1. Hiper. c. 8. Val. tab. Rh. p. 21. Sandersoni dial. 3. c. 7. Eras. de Inst. lib. 3. c. 5. Causs. El. 6. l. 25. c. Val. 4. l. 2. disp. 3. quæst.* (c) Epichirema sive Syllogismus Rhetoricus constat ex 1. Propositione Majori, cui subjicitur ipsius 2. Ratio, una pluribusque instantiis probata: Deinde 3. Propositione Minori seu Assumptione, quæ & 4. Rationem suam habet adjunctam; 5. Complexione denique seu Conclusione; ut,

1. *Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur.* 2. *Domus ea quæ ratione regitur, omnibus rebus est instructior, quam quæ temere & nullo consilio administratur. Rursum, Navis optime cursum conficit, quæ scientissimo gubernatore utitur: eadem est Exercitus & cæterorum ratio.* 3. *Nihil autem omnium rerum melius quam Mundus administratur.* 4. *Nam & signorum ortus obitusq; definitum quendam servant ordinem: & diuturna noctium, vicissitudines immutatæ perstant.* 5. *Consilio igitur regitur mundus.*

(a) Va-

(a) Varietatis gratia, ne cognoscat artem quĩ audit, adeoque defatigetur similitudinis satietate, invertantur subinde argumentationum partes: quandoque etiam vel alterius Propositionis Ratio, vel ipsarum Præmissarum altera tanquam pro manifesta ac concessa omittatur: Adjiciatur aliquando Exornatio aut Amplificatio. Interrogatorie proponatur pars una aut altera: argumentorum puncta occultantur. Artis est celare artem.

(a) *Val. ad. 4. l. disp. 2. q. 9. & 12.*

(b) Enthymema, est imperfectus Syllogismus; in quo nimirum Major Minorve desideratur, *Pius fuit, fortis, sapiens. Deum quippe coluit, hostes contudit, fortunam utramque moderate tulit, imo superavit.* Optimum est illud Enthymema, quod ex contrariis conflatur; quodque, ut acutius sit, per interrogationem non raro effertur: ut *Quem alienum fidum invenies si tuis hostis fueris?*

(b) *Arist. Rhet. l. 2. c. 23, 24, 25, 26. Hermogens. περὶ εὑρέσεων τομ. γ. Aphtonii τέχνη ῥητορική. Soarez. c. 19. Caussi. l. c. 28. Voss. l. 3. c. 5. Vall. l. 4. disp. 2. quæst. 5.*

(c) Inductio est Illatio ex enumeratione præcipuarum partium; vel collatione illustrium aliquot individuorum; ita ut ex multis singularibus probetur universale: ut, *Plebs Romana optime de Milone sentit, Equester ordo optime sentit, Senatus optime sentit. Totus ergo populus Romanus optime de Milone sentit.* Clarior tamen est illa Inductio Socratica, quæ, per Interrogationem vel Subjectionem, adversarium premit: ut, *Quodnam pomum est generosissimum? Nonne quod optimum? Et quis equus generosissimus? nonne qui velocissimus? Quis autem ager? certe qui fertilissimus. Idem & hominum, non qui natalium splendore, sed qui virtutis gloria præstant, habendi sunt generosissimi.*

(c) *Quint. 5. l. 11. c. Soarez. 2. l. 20. c. Vos. l. 3. c. Caussi. 4. l. 56. c. Vall. 4. l. 2. 7. quæst.*

(d) Exemplum est Inductio imperfecta, seu probatio & mensura à simili quod utrique convenire arguitur, quando scilicet ex uno singulari aliud singulare probatur; ut, *Jure occisus est Saturninus res novas moliens, sicut Gracchi.*

(d) *Ar. Rh. l. 2. c. 21. & περὶ γνωμῶν. c. 22. Apsini. τέχνη ῥητορική. Quint. 5. l. c. 11. Eras. cop. ver. Soarez. 2. l. c. 21. Caussin. l. 4. c. 55. Exempla illustrant, potius quam probant.*

In Judiciali genere præcipuum instrumentum est Enthymema; in demonstrativo dominatur Amplificatio; in Deliberativo familiam ducunt & utramque paginam faciunt Exempla.

Cautio est, ne tota oratio sit conflata ex condensatis Exemplis aut Testimoniis. Neq; ipsa argumenta conferto agmine stipentur. Magisq; ex usu & re nostra fuerit, dum affectus movemus, sententiis quam argumentis uti. Segnius enim moventur Affectus in cassis cordis ad volendum, quamdiu in arce capitis Intellectus occupatur in excutiendo vero.

Anx

(a) *Amplificatio est gravior quædam affirmatio ad ciendos affectus potens.* a Περὶ αὐξήσεως καὶ τῶν ἰδίων αὐτῆς. Longinus περὶ ὕψους. Hermog. περὶ μεθόδου δεινότητος. Cic. de Orat. comprehendit Amplificationem sub Elocutione. Quint. 8. l. c. 24. Soar. l. I. 2. c. 34. ad 41. Streb. l. 2. c. 2. Causs. l. 3. c. 2. Chytræus addit Hypothesin reductam ad Thesin. Sturm. de rat. El. c. 30. & 25. Keck. Syst. Rh. l. 1. c. 7. Vos. Inst. 3. l. c. 5. Causs. l. 5. totus: ubi octo modi ponuntur; quos etiam habuit Eras. lib. de copia rerum.

Amplificatur.

Verbis, illustribus, superlatis, asyndetis, iteratis, relatis, ad superiora gradatim ascendentibus, synonymis.

Rebus

Incremento: gradibus ad summum, ac etiam supra, insurgendo; ut, *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere.*

Comparatione à minoribus, ad majora argumentando; ut, *An vero vir amplissimus P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. privatus interfecit: Catilinam orbem terrarum cæde atque incendio vastare cupientem, nos Consules perferemus?*

Ratiocinatione: ex iis quæ dicta sunt, quidpiam reipsa majus innuendo; ut, *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius* (a) *corporis firmitate, tantum vini exhauseras, ut tibi opus esset vomere,* &c.

Congerie: aliis atque aliis modis eandem rem efferendo; ut, *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? quis sensus erat armorum tuorum? qua tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

(a) Amplificationis præcipui loci sunt, Causa, Effectum, Subjectum, Adjunctum, Partes, Comparata.

Extenuatur à præceptis contrariis.

Vide & quæ supra in calce generis Demonstrativi super hac ipsa re dicta sunt.

Confutatio.

Confutatio, est dissolutio argumentorum quæ objecta sunt vel objici possunt, iis quæ causæ nostræ fauces premere videntur, ad primam impressionem, occurrens, vel etiam arte deludens, aut cuniculis rem agens. *Huc & Hypotyposin referunt nonnulli.*

Huic

Huic fere cum Confirmatione communia sunt Natura, Utilitas, & Tractatio.

Reprehenditur, sc. Adversarii argumentatio si ostendatur, vel Materia, vel Forma esse vitiosa.

Argumenta adversarii refutantur,
- Si, ex iis quæ sumpta sunt, non concedatur unum aliquod aut plura.
- Si ostendimus falsa esse pro veris assumpta.
- Si ex his concessis id consequi negetur.
- Si contra firmam argumentationem, alia æque firma aut firmiora adducantur.
- Si, quibus sèriò respondere haud in promptu est, elevemus *(a)* joco, atque ipsos contemptu aut increpatione delusos, fallè faceteque derideamus.

(a) *De facetiis, ridiculis, eorum origine, & quasi locandi arte, Aristot. Rh. 3. l. c. 10. 11. & 18. Cic. 2. de Orat. Quint. 6. l. 4. c. Castilionis Aulicus 2. l. Voss. Instit. 3. l. 5. c. Val. 3. l. disp. 4. qu. 5. & dis. 5. qu. 4.*

Accedendo ad singula argumenta, & primum validiora discutiendo, universa infringentur melius.

Confutatio præmittitur confirmationi, quando ars causæ requirit ut via muniatur ad veram sententiam.

Peroratio.

(b) *Ordine sc. quo tractata erant, in confirmatione & confutatione idq; breviter.*

Estque vel
- Enumeratio, quæ potissima argumenta rerumque capita *(b)* recensetur: idque vel simpliciter vel per Interrogationem, Ironiam, aut Collationem. Atque hac in Judiciali uti licet; in Demonstrativo & Deliberativo, rarissime.
- Affectuum concitatio, ad quam valent in
  - Demonstrativo; quæ in laudatione expectationem, amorem, admirationem, voluptatem, æmulationem moveant: in vituperatione, odium invidiam, contemptum.
  - Deliberativo, bonorum, ac malorum enumerationes & exempla.
  - Judiciali; accusatori, quæ *(c)* ad indignationem; defensori, quæ ad misericordiam.

(c) *Exaggeratur crimen a circumstantiis, exemplo malo, indignitate rei per Apostrophen, & Hypotyposin. Defensor contra Reum, non ex voluntate sed infirmitate, necessitate, aut fortuna erraſſe arguens, misericordiam imploravit.*

In

In affectibus movendis adhibenda ſunt quæ magna habentur. { Natura. / Uſu. { Charitate. / Honeſtate. / Utilitate.

Atque hic omnes eloquentiæ fontes ſunt aperiendi.

Huc facit amplificatio, de qua ſupra in genere demonſtrativo & Confirmatione.

Sit Peroratio brevis, acris & aculeata: ne tædium pariat aut indignationem.

a *Elocutio conſiſtit in* 1. *Elegantia*, 2. *Compoſitione*, & 3. *Dignitate.*

a Ariſt. Rh. 3. l. Dem. Phalereus ἐρμηνείας.

Cic. de Orat. 3. l. & Partition. Quintilian. 8. lib. Mart. Capella 5. l. 165. p. Fortunatianus l. 3. Soarez. l. 3. c. 1. Sturm. de rat. Elocutionis. Keck. Rh. Syſt. l. 2. c. 1. Alſt. Or. l. 4. c. 16. Cauſſin. 7. l. Voſſ. 4. l. 1. c. Vall. l. 5. Streb. l. 1. de delectu & collocatione verborum. Vincent. ſpecul. Doct. l. 4. c. 108.

1. *Elegantia munus eſt ut* dicatur *Pure* & *Perſpicue.*

Pure, verbis ſive illa ſimplicia ſint, ſive conjuncta, puris lectiq; urbis alumnis, aut civitate certe donatis; non obſoletis, intermortuis & conclamatis; non obſcœnis, peregrinis aut barbaris: antiquata vero & multis annis deſita tanquam ſcopulos declinet: nec Grammaticæ tantum, ſervata caſuum, temporum, generum & numeri ſtructura, adhibito ſpiritus & accentus juſti temperamento, ſed *b* Latine, quoad phraſim & locutionem; ex authoritate & more probatiſſimorum autorum, atq; eorum præcipui qui in virili Romanæ eloquentiæ ætate, floruerunt, Ciceronis imprimis, deinde qui eum proxime accedunt, Cæſaris, Livii, Velleii, Curtii, Fabii, mox etiam Terentii, Plauti, Saluſtii, Agellii, Taciti.

b *Cicero de Or. l. Dreſſ. l. 2. Hiper. 13. c. p. 430. Alſt. Orat. 4. l. 7. c. Cauſſ. 7. l. 2. c. Voſſ. l. 1. c. Vallad. l. 5. d. 1. queſt. 3.*

Plane & *perſpicue*, verbis uſitatis ac proprie ſignificantibus, citra verbi aut ſermonis ambiguitatem; quam maxime oratoriis, non nimis longa verborum ſerie continuatis, nec tamen conciſe nimis: non durius tranſlatis, non diſcerptis ſententiis, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine.

c *Quint. l. 8. 2. c. Alſt. Orat. l. 4. c. 8. Voſſ. 4. l. 2. Vall. l. 5. diſſ. 1. qu. 4.*

2. *a* Compositio respicit *Juncturam, Ordinem, Periodum* & *Numerum*. *Junctura* ex molli elementorum, syllabarum, & vocum coagmentatione, reddit orationem cohærentem, lenem, æquabiliter fluentem, suavem, plenam, sonoram. Cavet scilicet, ne in verborum commissione, hiulca sit oratio propter collisionem vocalium; ut *Rem anxie quærere, atque adeptâ egere, avari animi est:* Nec sit horrida & aspera propter concursum diversi instrumenti consonantium; ut *Consulum dignitas gravem tumultum civium repressi*; sed ut priorem à vocali terminatam insequens dictio à consonanti inchoans excipiat, aut contra à consonanti clausam aperiat dictio incipiens à vocali vel consonanti ejusdem organi, labiorum scilicet, dentium, aut palati. Mollitiem quippe fluoremq; præstat concatenata vocalium & consonantium alternatim in claudendis aperiendisque vocibus mistura; ut, *E cujus ore melle dulcior effluebat oratio.*

Nec ultima præcedentis dictionis syllaba sit eadem cum prima sequentis; ut, *Æquora tuta tacent. Spuma maris risit.* Quamvis hæc compositio quibusdam è veteribus placuisse in tantum videtur, ut etiam in deliciis fuerit, atq; obtinuerit inter Schemata locum & nomen, Parechesis nuncupata. Vocabula denique mediocria præferantur longis continuatis, aut monosyllabis condensatis.

b Ordo cavit, 1. ne decrescat oratio in amplificando, sed insurgrt: *Non enim furem, sed aireptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed, &c.* in extenuando, contra submittatur. 2. Ut præcedant minus necessaria, quæ item natura vel dignitate priora & præstantiora sunt: *Dies nocti, vir fœminæ, oriens occidenti.* 3. Ut claudatur sensus verbo, quod tanquam sententiæ clavis expectatur; nisi lex numeri vetet. 4. Ut Genitivus plerumque præcedat Nomen unde regitur, & eleganter interjiciatur Genitivus aut aliud aliquid inter Substantivum & Adjectivum: *Cujus vita turpitudinis conscientia vacat ejus nomen ab invidiosa, quantum in nobis est, malevolentia vindicetur.* 5. Ut vocum insuaviter ὁμοιοτελεύτης κακοφωνία declinetur, vel aliarum interpositione, vel ipsarum immutatione; dicaturque potius, *Clarorum consilia virorum*; aut, *illustrium virorum*; vel *clarissimorum hominum*; quam *clarorum virorum.*

a *Dionys. Halicarnass. & Dem. Phal.* Περὶ συνθέσεως ὀνομάτων *Autor. ad Heron.* 4. *l. Cicero de Orat.* 3. *l. Fabius* 9. *l.* 4. *cap. Ac nescio negligentia in hoc an solicitudo sit pejor. Ruffinus versus Sturm. l.* 3. *Elocution. Rhetoric. c.* 4. *Jul. Scal.* 4. *l. poetic.* 2. *c. Soarez.* 3. *l. c.* 31. *&* 33. *Strebæus* 2. *l. de electione & collocatione verborum c.* 3, 4, *&* 5. *Voss. l.* 5. *c.* 2. *Caussin.* 7. *l.* 3. *c Vallader. l.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 13. *&* 15.

b *Soarez. l.* 3. *c.* 32. *Voss. l.* 5. *c.* 1. *Vall.* 5. *dis.* 2. *quæst.* 14. *&* 15. 3.

c Periodus

e Periodus sententiam Commatis & Colis juste perficit.

Comma, seu Incisum, est sensus non expleto numero conclusus, à duabus syllabis ad septem usque aut circiter extensus, è quibus Periodus non raro constat: ut, *Sterit fulcatus Prator P. R. cum pallio purpureo, tunicaque talari, multerculo nixus in litore.*

Colon seu Membrum, sensum numeris conclusum absolvit, sed à Periodo avulsum suspendit auditoris expectationem, ut non perficiens sententiam, progrediturque à duodecima syllaba ad decimam octavam, quandoque ad vicesimam quartam.

Periodus constat duobus Colis (quandoque & Commatis) quorum prius vocatur ἀπόδοσις, posterius ἀπόδοσις, seu redditio: vel tribus, vel etiam quatuor constat membris, quæ aut æqualia sunt, aut in acri oratione postrema sunt breviora, in ornata producciora. Pulcherrima tamen est illa Periodus, quæ membris quatuor absolvitur, ut quæ animum suspendat & aures impleat: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Cecinna Sexti Eluvii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ.* d Quid quod hic concinnitatem advertis & gratiam Periodo conciliatam ab ἰσευθεῖαι ex ὁμοιοπτώτοις & ὁμοιοτελεύτοις? Quam & præstant ἀντίθετα, Opposita seu Contraposita; *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum cum illius imperatoris victoria, hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.* Ut & ἰσόκωλα seu paria paribus relata; *Bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.* Est ubi omnes hæ in una periodo consistant virtutes; ut, *Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Neque interim gratia sua laudeq; carent quæ intertexta repetuntur: *Tenuerunt illum locum servi, fugitivi, barbari, hostes; sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum; neque tam fugitivi illi à dominis, quam tu à jure & legibus; neque tam barbari lingua & natione illi, quam tu natura & moribus; neq; illi, tam hostes hominibus, quam tu diis immortalibus.*

Quæ

c Arist. Rh. l. 3. c. 9 Hermogenes περὶ ἰδεῶν τ. μ. δ'. & sequenti c. περὶ πνύματος. Stum. 3. l. c. 2. de ratione elocutionis. Dem Phal. περὶ ἑρμηνείας. Cic. 3. de Or. Fab. l. 9. c. ult. Jul. Scal. l. 4. poetic. c. 25. Keck. Rh. l. 2. c. 22. Soar. l. 3. c. 37. Dreff. 3. l. Streb. l. 2. c. 16. Voss. l. 5. c. 2. Cans. 7. l. 5. c. & de Period. implendæ artificio. 7. l. 13. c Vall. 5. l. disp. 2. quæst. 17.

d De Concinnitate; videndi, Demetr. Phal. περὶ ἑρμηνείας. Streb. de electione & collocatione verborum l. 2. c. 7, 8, 9, 10. Val. l. 5. disp. 2. quæst. 16. de Homoioteleutis, Homoioptotis, Paribus, Antithetis, idem l. 5. disp. 1. quæst. 11.

Quæ deprecatio igitur est ei reliqua qui indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit Atq; hic *buccæ Noscenda est mensura tuæ*, ne brevior sit periodus quam aures expectent, neque longior quam vires & anima ferant, sed rotunda, comprehensione & justa orbem suum conficiat.

a *Numerus* rationem habet quantitatis syllabarum quas in membrorum initiis & accuratius aliquanto in periodorum clausulis ad tres aut minimum duos pedes restringit, neque enim poterit illud placere quod statim quasi in vestibulo offendit, neq; laudem demereri quod non feliciter exeat: media quia latent, minus observantur: ubi tamen oratio concitata fluit brevibus syllabis, gravis retardatur longis, moderata temperatur utrisque.

In principiis laudatur Molossus, Si quis jūdices. Creticus, Quōd prĕcātūs à Diis immortalibus sum. Pæan primus, Pāucă sŭpĕr hac re Dochimus Novĕm crīminātiones. Dichôræus, Si quĭs antĕa P. C. Quandoque Anapæstus, ănĭmādverti judices.

Ne claudatur Periodus termino versus notioris; Heroici, Pentametri, aut Asclepiadei. Optime cadunt, clauduntque sententiam hi pedes: Creticus præpositus Dichoreo. Glōrĭam cōmpărāvit. Choreus ante Molossum, Mēmbră firmāntur. Docūimus, rĕ̄ publĭcæ. Dispondæus Iambo postpositus, Rĕūm cōndēmnārunt. Pæan primus insequenti Spondæo, ĕssĕ vidĕātūr.

Atque in his tamen alii pedes aliis præferendi, pro Characteris & Materiæ subjectæ majestate, acumine, vehementia, gravitate, aut alia ratione.

Ad cavendam satietatem & tædium, dissimulandum est artificium; & præ se ferendum numeros sponte fluxisse. Videndumque ne pes idem sæpius ducat, claudatve sententiam; ut absit odium similitudinis, qua nihil est in hac arte vitiosius.

Neque monosyllaba sæpius, neque productiora verba claudant sententiam.

a *Arist. Rh. 3. l. c. 8. Cic. de Orat. 3. l. Cic. Or. perfect. Dionys. Halicarn.* περὶ συνθέσεως ὀνομάτων *Fabius l. 9. c. 4. M. Capell. l. 5. Rufini vers. Caulerus 5. l. 14. c. Strebeus l. 3. c. 12, & 13. Soarez. 3. l. c. 35, & 39. Jovita Rapicii libri quinque super hoc agument. Keck Rh. spec. 2. l. c. 21. Caus. 7 l. 4. c. Voss. 5. l. c. 9.*

3. *Dignitas*

9. *Dignitas præstat ut dicatur.*

Tropis, qui vocem à propria & genuina significatione deflectunt ad alienam.

Ornatè
- Schematibus quæ habitu & forma elegantiori figurant.
  - Verba, ex apta eorum inter se collocatione jucunde sonantia.
  - Sententias, ratione & pondere firmatas, aut animi motu affectas.

Aptè, ut deceat; ex orationis facie, pro varia materia, formatæ propria Idea & charactere. ¶.

Volebam certè, quæ de Tropis & Figuris versû qualicunque compacta sequuntur oratione soluta, ubi par fuerat, cæteris continuasse. Sed religio est aversari judicium vulgi, qui ista olim poëticum indepta faventer excepit, excepta jam desiderat, (mira sane quæ populo placeant!) Fera igitur, lector benevole, quod corrigere est nefas, versus per tesqua & salebras, quod in technico doctrinali necesse est, quandoq; cæspitantes: atq; allubescat cum eruditis sentire, cum vulgo loqui. Ausa tamen est hæc Editio Rhetoricas Figuras Oratoriis exemplis illustrare.

Tropi 4.

DAt propria similem translata *a* Metaphora vocem:

Cæptis aspirant. Irarum fluctuat æstu. Læta seges. Gemmant vites. Duo fulmina belli. Ingenii flumen. Mens ferrea. Classis habenas.

a Non est alius Tropus frequentior quam Metaphora, non florentior: quippe quæ lumen & stella sit orationis, brevis & contracta in unam vocem Similitudo; faciatque ad copiam, majestatem, evidentiam & festivitatem.

Atque Metonymia imponit nova nomina rebus:
1. Efficientis, ut Inventoris; *Marte, Lyæo.*
Autoris; *legitur Juvenalis. Livius ingens.*

Materiæ: *Pinus, Ferrum, æris acervus, arundo.*
Aut instrumenti: *gladius, lingua, arma, manusque.*
2. Effecti: *clades Libyæ, mors frigida pallet.*
3. Subjecti: a *Curii*, b *pateræ*, c *Germania*, d *Rostra.*
e *Vcalegon*: f *cor, os*, g *patronus*, h, *nox*, i *Amaryllis.*
4. Adjuncti: k *fasces*, l *scelus*, m *ætas nulla*, n *libelli.*

a Subjectum pro accidente.
b Continens pro contento.
c Locus pro incolis. *d* Locus pro gestis, in loco. *e* Possessor pro re possessa. *f* Sedes pro qualitate inhærente. *g* Patronus assumit personam clientis. *h* Tempus pro re in illo gesta, vel habitu ejus. Signatum pro signo. *k* Signum pro signato. *l* Qualitas pro persona subjecta. *m* Tempus pro subjectis illius. *n* Locatum pro loco.

Confundit totum cum parte Synecdoche Partis:
o *Myrtoum*, *Auster*, p *hyems*, *tectum*, *mucro*, q *Annibal*, r *Anglus.*
2. Totius: s *Orator*, *color*, t *annus*, u *vixit*, x *Atrides.*

o Species aut individuum pro genere. *p* Pars pro toto. *q* Dux pro exercitu, velut pars primaria. *r* Numerus pro numero. Singularis pro Plurali, & contra. Finitus pro infinito: & contra. *s* Genus pro specie aut individuo. *t* Totum pro parte. *u* Antecedens pro consequente: hoc tamen alii Metonymiæ, alii Metalepsi adjudicant. *x* Patronymicum commutatum, *Keew* & determinato.

Contra quam sentit solet Ironia jocari.
Scilicet; egregiam laudem; pulchre; bone custos.

4. *Troporum Affectiones.*

Durior impropriæ est Catachresis abusio vocis:
Vio gregis: ultorem promisi: pulchra minatus.
Transcendit mediis gradibus Metalepsis ad altum.
Hinc movet Euphrates bellum. Mirabar aristas.

y Quæ dicitur Meiosis, diminutio.
z Quæ dicitur Auxesis, sublatio, amplificatio.

y Extenuans, *z* augensve excedit Hyperbole verum:
Astra ferit. pluma levior, volat ocyor Euro.

Continuare tropos Allegoria adsolet: *Absque*
Et Cerere & Baccho Venus alget. Claudite rivos.

Tropi falso habiti.

a Species Synecdoches & Metonymiæ
b Species Synecdoches.

a Antonomasia imponit cognomen; ut, *Irus*: *Impius*: *Æacides*: *Pœnus*: *Cytherea*: *Poeta.*
Non equidem laudo, est *b* Litotes: *nec munera sperno.*

A soni-

A sonitu voces *c* Onomatopœia fingit:
Bombalio; Clangor; stridor; taratantara; murmur.

d Antiphrasis vocis tibi per contraria signat;
Lucus; sacra fames; Euxenus; Symphora; Parca.

Dat *e* Charientismus pro duris mollia verba:
At bona verba precor; ne sævi magne sacerdos.

d Astismus jocus urbanus, seu scomma facetum est:
Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi;
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.

Insultans hosti illudit *d* Sarcasmus amarè:
En agros metire jacens. Hinc nuncius ibis
Pelidæ referens. Satia te sanguine, Cyre.

Æthiopem, lateremve lavare: *e* Paroemia dicta est.

e Ænigma obscuris tecta est sententia verbis.
Filiolas Cadmi profert Nilotis arundo,
Quas serit è Cnidio distillans sepia nodo.

c Metonymiæ species.

d Ironiæ species. Verum quam futile sit hoc Grammaticorum scitum, quam intutum Etymologistarum asylum, vide J. Cæs. Scaliger. Poetic. l. 3. c. 90. G. Finkium l. 1. Schediasm. 42. C. Becmanum de originibus Ling. Lat. & 1. Ger. Voss. l. 4. Institut. orat. c. 13.

e Allegoriæ species.

Schemata Rhetoricæ dictionis.

Ejusdem sit *f* Epizeuxis repetitio vocis:
Ah Corydon, Corydon, me, me, bella, horrida bella.
Talis amor Daphnim (qualis cum fessa juvencam
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos, &c.)
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Adeste adeste, sceleris ultrices Deæ. Sen. Men.
Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis. Cic. pro Mil.
Crux, crux, inquam, infelici & ærum noso comparabatur. 7. in Ver.
Totum hoc quantumcunque est (quod certe maximum est) totum est, inquam, tuum. Cic. pro Marcello.

f Ad Emphasin & affectum expressa: fit autem vel eadem voce repetita immediate vel una interjecta, aut pluribus per Parenthesin.

Est *g* Anadiplosis quoties ex fine prioris
Membri, principium fit dictio prima sequentis:
Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.
Hic tamen vivit. Vivit? imo vero in senatum venit. 1. Catilin.
Sed pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras;
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam. Virg. 4. Æn.

g In vehementiori animi motu adhibita emphasin habet.

Principum dignitas erat pene par: non par fortasse eorum qui sequebantur. Pro Ligario.

b Concinnat connectitq; venuste multas causas à se dependentes.

Continua serie est repetita gradatio b Climax. Cujus in Sorite usus est.

Quod libet, id licet his; & quod licet, id satis audent: Quodque audent faciunt; faciunt quodcunque molestum est.

In urbe luxuries creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia nascuntur. Cic. pro Roscio Amer.

Si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, advola. Epist. 23. l. 2. ad Attic.

Quid enim, per Deos immortales, potest Resp. prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura, dico? quid si etiam nocuit? Philippic. 12.

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita. Ovid. 3. Fast.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam; Florentem cytisum sequitur lasciva capella, 2. Eclog. Virg.

c Florida figura, quæ varias enumerationes dictat, asseverat, exaggerat.

Diversis membris frontem dat c Anaphora eadem.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum; Ter frustra comprensa manus effugit imago.

d Elegantissime geminatur cum res oppositæ inter se pendunxur.

d *Tu pugnare potes, mihi sacri est consilii vis: Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.*

Nihil te nocturnum præsidium palatii? nihil urbis vigiliæ; nihil timor populi? nihil consensio bonorum omnium? nihil hic munitissimus habendi Senatus locus? nihil horum ora vultusque movurunt? Catilinaria. 1.

Accusant ii, qui in fortunas invaserunt: Causam dicit is, cui nihil prater calamitatem reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sexti Roscio bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Pro Roscio Amer.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora movebat. 3. Æn. Virg.

Rebile

Flebile nescio quid queritur lyra; flebile lingua
Murmurat exanimis; respondent flebile ripæ. Met. Ovid. 11.

Complures clausas concludit *k* Epistrophe eodem Dicto: *Crede mihi, si te quoquè pontus haberet;*
Te sequerer, conjux, & me quoquè pontus haberet.
Doletis tres exercitus Pop. Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos eoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius. 2. Philippica.
Surgamus; solet esse gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra; nocent & frugibus umbra. Virg. 10. Eclog.

k Festive & eleganter periodum concinnat.

Symploce eas jungit, complexa utramque figuram.
Quam bene, Cæune, tuo poteram nurus esse parenti?
Quam bene, Cæune, meo poteras gener esse parenti?
Quis legem tulit? Rullus. Quis majorum populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus. Cic. pro lege Agraria.
Quis postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Pro Milone.

Incipit & voce exit *l* Epanalepsis eadem:
Pauper amet caute, timeat maledicere pauper.
Vidimus tuam victoriam prodivum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. pro Marcello.
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Virg. Æn.
Victus amore tui, cognato sanguine victus. Æn. 12.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.
Ad bellum missos perdidit una dies. Ov. 2. Fast.
Phœbe, redde diem; quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phœbe redde diem. Mart. 21. ep. l. 8. vide ep. 99. l. 9. *Rumpitur invidia.* &. l. 4. ep. 91. & alia ejusdem ep. ut & Catulli in eodem desinunt versu à quo ordiuntur.
Una dies aperit, conficit una dies. Ausonii rosæ.

l Res graves cum majestate inculcat.

Prima velut mediis, mediis ita *m* Epanodos ima
Consona dat repetens: *Crudelis tu quoque mater,*
Crudelis mater, magis an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.
Gratiam qui refert, habet: & qui habet, in eo, quod habet, refert. Pro Plancio.

m Distinctiones & Argumentationes concinnat.

Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam locupletem, quæ tibi pacata esse videatur? pro lege Manilia.

Demophoon, ventis & verba, & vela dedisti:

Vela queror reditu, verba carere fide. Ovid. Epist. 2.

Voce parum mutata alludit significatum

n Eleganter in conversionibus jocatur, pungitq; simul.

» Paranomasia: *tu prædo non prætor; amari*
Me juvat. Antanaclasis erit, *si nil sit amari.*
Estque ploce, *Corydon, Corydon est tempore ab illo.*

Inceptio est amentium, haud amantium. Terent. Andr.

Tibi parata erunt verba, huic verbera. Terent. Heaut.

Qui de hujus urbis, atq; adeo orbis terrarum exitio cogitent, Catilinaria 1. *Itaque plebiscitum, quo magis oneratus quam honoratus sum, primus antiquo abrogoque,* Liv. 22. *In quo motu, in quo metu; tam cito, tam scite. Sero, sed serio; quam tibi habe & have. In stadio & studio virtutis. Ab Exordio, ad Exodium. Petiisti & simul periisti. Confisis & confusis. Vero affectu, felici effectu. Mirari, non rimari. Ita Marsyas in pœnam cecinit & cecidit. Floruit, & corruit. Non κτῆσις sed χρῆσις. mutant τόπον ὑ τρόπον. μωμεῖσθαι ῥᾴδιον ἢ μιμεῖσθαι. Non fluere sed ruere videtur. Nisi quis aut cœnum aut cœlum dividere vellet.* Flor. 3. 17. *Amor & melle & felle est fœcundissimus.* Plaut Cistel.

Nata salo, suscepta solo, patre edit. Calo. Auson. Epigr. 30.

o Pulchre exponit, contraponit, repetit.

Esto o Polyptoton, vario si dictio casu
Consonet: *arma armis pede pes, densusque viro vir.*

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo
Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis Stat. 8. Th.

Res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit. pro Cœlio. *Cedere jussit aquam, jussa recessit aqua.* Ovid. 3. art.

Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur. Verrin. 7. *Sed pleni omnes sunt libri, plena sapientum voces, plena exemplorum vetustas.* pro Archia.

Huc & παρηγμένον referunt, ubi sc. voces variantur à derivatis vel conjugatis. *Is demum miser est, cujus nobilitas miserias nobilitat.* Actius. *Candidas alas modo movit alas.* Senec. Hippol.

Schemata

Schemata ſententiæ ad Explicationem.

Species Hypotheſeos ſunt.

p Res, q loca, r, perſonas, ſ affectus, t tempora, geſta. — p *Pragmatographia.*

Exprimit, atque oculis quaſi ſubjicit u Hypotypoſis. — q *Topographia & Topothetſia,* r *Proſopographia,* ſ *Pathopœia,* t *Chronographia,* u *Dia typoſis energia, Charakterismus.*

Deſcriptionum exempla, quia paſſim obvia, & longiora ſunt quam quæ admittat inſtituta & profeſſa hæc brevitas, nulla adjicio. Scias obiter pleriſque tranſitoria hæc eſſe ſora, ad digreſſiones. Operæ itaque pretium erit, hæc adnotare, & in uſum reponere

Explicat, oppoſitum addens x Paradiaſtole: *Obumbrat. Virtutem fortuna; tamen non obruit illam.* — x *Paralogiſmum conſequentis arguit.*

Fit magna mutatio loci, non ingenii, Cic. pro Quintio.

Non enim furem ſed direptorem: non adulterum ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed, &c. 3. Verrin

Oppoſita Antimetabole mutat dicta: *Poema Eſt pictura loquens; mutum pictura poema.*

In dominatu ſervitus: in ſervitute dominatus: pro Deiotaro.

Vere dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum, Cic. 3. de legibus.

Ut qui pacem belli amore turbaverunt, bellum pacis caritate deponerent; Tacit. 2. hiſt.

Ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova. Quint. l. 10.

Inter viros fœmina, inter fœminas vir.

Librat in Antithetis contraria, y Enantioſis. — y *Comparando illuſtrat delectatque.*

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Obſequium amicos, veritas odium parit. Terent. Andria.

Neque me pœnitet mortales inimicitias, amicitias ſempiternas habere. pro Poſthumo.

Ubi vivos homines mortui incurſant boves. Plaut. Aſinaria.

Sed quam urbs ipſa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hoſtium animi. Liv. 3. 3.

Odit

Odit populus Rom. privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit. Cicero pro Muræna. vid. in eadem oratione Antithesin satis longam *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut,* &c. & supra in Periodo, pag. 33, 34.

z Asseverat & exaggerat.

z Synœceiosis duo dat contraria eidem:
Tam quod adest, desit, quam quod non adsit, avaro.
Cum eo nimirum hoste res est, qui nec bonam nec malam fortunam ferre potest: seu vicit ferociter instat victis: seu victus est, cum victoribus instaurat certamen. Annibal de Marcello. Liv. 3. 7.

† Ludendo elevat, pungit tamen.

† Oxymoron *iners* erit *ars, concordia discors.*
Strenua nos exercet inertia. Hor. Ep. 11. l. 1. γλυνυπικρὸν. Ἐχθρῶν ἀδῶρα δῶρα Soph. Ajax. Χάρις ἀχαρις.
Insanientis dum sapientia consultus erro. Hor. 1. l. 34. ode.
Id aliquid nihil est. Ter. Andr. *Tu pol, si sapis, quod scis, nescias.* Eun. *Ut cum ratione insanias,* ibid.
Arte opus est, ut tibi parma cadat. i. ut. erret. Martial. 9. 39. *Innumeri numeri. Cum tacent, clamant.* Catilinaria 1. *Concordia discors.* Met. *Injustaque justa peregit.* 11. Met. Ovid.
His, ut quaque pia est, hortatibus impia prima est,
Et, ne sit scelerata, facit scelus. Ovid. 7. Met.
Tu non inventa, reperta es. Ovid. 1. Met. Sperabam me reperturum filiam meam virginem; reperi vaccam, quem locum & ipse Ov. interpretatur. 5. l. 6. fab. de Proserpina.
En quæsita diu tandem mihi nata reperta est:
Si reperire vocas amittere certius; aut si
Scire ubi sit reperire vocas: contra quam disputant magistelli apud Alex. ab Alexan. l. 1. c. 21. & quam *L.* Valla distinguit inter *invenire* & *reperire,* l. 5. el. 6. 2.

Ad Probationem.

a Refellenti congruit atque redarguenti.

Propositi reddit causas *a* Ætiologia.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Intelligo, quam difficili scopulosoq; verser loco: Nam cum omnis arrogantia sit molesta; tum illa ingenii atque eloquentia molestissima. Divin. in Verr.
Arguit allatam rem contra Inversio prose:
Imo equidem; neque enim si occidissem, sepelissem.

Romulo

Romulo in cœna parcius bibenti: dixit quidam, Romule, si istuc omnes faciant, vinum vilius sit; is respondit, Imo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: Nam ego bibi quantum volui. A. Gel. l. 11. c. 14.

Anticipans, quæ quis valet objecisse, *b* Prolepsis. Diluit: *Hic aliquis mihi dicat, Cur ego amicum Offendam in nugis? Hæc nuga seria ducent In mala, derisum semel exceptumque sinistre.*

Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentulos, &c. Prosapodosis seu Responsio. *Ego, si quis, Judices hoc robore animi atque hac indole, virtutes,* &c. Cic. pro Cælio.

Occupationis formulæ sunt: *Si quis adsit legum ignarus, qui--Si quis miretur--Ne cui vestrum mirum videatur---Hic forte mihi objiciat aliquis------Quod si quis me roget--------Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus--------Quærat quispiam,* &c.

Plane aut dissimulans permittit *c* Epitrope factum. *Cedo equidem: neque te teneo, neque dicta refello. I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.*

Sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium vitiorumque princeps: at est bonus Imperator & felix, &c. dissimulanter in Verrem. *Tribuo Gracis literas: do multarum artium disciplinam: non adimo fermonis leporem* &c. *testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit,* pro Flacco. *Habes Tubero, quod accusatori est maxime optandum, confitentem reum: sed tamen ita confitentem,* &c. pro Ligario.

Imo habeat, valeat, vivat cum illa: profundat, pereat, perdat, nihil ad me attinet. Ter. Adelph.

Ad Exaggerationem & Amplificationem.

Ad summum ex imo gradibus venit *d* Incrementum. *Non plebis prava jubens: solida nec mente tyranni Vis fera dimoveat justum; non turbidus Auster; Fulminei non dextra Jovis; non, si ruat orbis.*

Eo prorupturam esse audaciam, ut non clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fauni, ante pedes vestros Judices, inter ipsa subsellia, cædes futura sint. pro Rosc. Amer. *Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius,* &c. pro Quintio. vide supra in Amplificatione, p. 29.

b Et Procatalepsis à priore parte dicitur Præsumptio, Objectio, Anteoccupatio: à posteriore, Subjectio, Anthypophora: Estque Procœmiis & confirmationib. accommodatissima.

c Causæ fiduciam præ se ferens, consilio acquiescit suo: huic affinis est Synchoresis.

d Supra in Confirmatione, vide Amplificationem.

Ad

Ad affectuum concitationem.

e Vim vitamq; orationi addit, premitque adversarium, & cujusin Enthymemate atque Inductione usus frequens.

Quærit *e* Erotesis, poterat quod dicere recte.
Et procul, O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? Sic notus Ulysses?
Quousque tandem, Catilina, abutere patientia nostra? & quæ seq. Exempla passim occurrunt.

f Post res magnas graviter expositas ciet Affectus.

Concitat *f* Ecphonesis & Exclamatio mentem
Heu pietas! O sides falsa! probavana voluptas!
O tempora! O mores, Catil. 1. *O frustra mei susceptilabores!* pro Mil. *O miserum me! consumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Phil. 2. *O cæcum! O terra! O maria Neptuni!* Ter. Adelph. *O stultos Camillos, Curios, &c.* in Pisonem.

g Rei probatæ apponitur quasi sigillum, aut tanquam coronis imponitur operis fastigio.

Narratæ subit & rei *g* Epiphonema probatæ:
Tanta molis erat Romanam condere gentem.
Quam ut adipiscantur, omnes optant: eandem accusant adepti. Tanta est stultitia & perversitas. Cic. de Senect.

h Prævaricatur, & joco jugulat.

Tantum religio potuit suadere malorum. Lucret. 1.

Est *h* Epanorthosis positi correctio sensus:
O clementia, seu potius patientia mira!
Filium unicum adolescentulum habeo: ah, quid dixi habere me? imo habui, Chreme. Nunc habeam, necne, incertum est. Terent. Heaut.
Quod quidem facerem vehementius, nisi inimicitia mihi intercederent cum istius muliteris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro. Cic. pro Cœlio.

i Res tristes, turpes, notas suspectas tacet, irato minantique conveniens.

i Aposiopesis sensa imperfecta relinquit:
Quos ego——sed motos præstat componere fluctus.
Quem quidem ego si sensero——sed quid opus est verbis? Terent. Andr.
Si quis me quæret rufus—præsto est, desine. Phormio.
De nostrum enim omnium—non audeo totum dicere. Cic.

k Addubitatio; Exordiis, Confirmationibus & Amplificationibus utilis, expectationem atq; attentionem facit.

Eia, Benedicite. Plaut. Asinaria.
Consulit addubitans quid agat, dicatve *k* Aporia.
Quid faciam? roger anne rogem? quid deinde rogabo?
Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam nescio: negem fuisse illam infamiam corrupti judicii? negem illam rem agitatam in concionibus, jactatam in judiciis, &c. Respons. Non

Non est nostri ingenii, vestrii auxili est, Judices, &c. pro Cluent.

Quid primum querar? aut unde potissimum, Jud. credar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Romani? pro Roscio Am. Et apud poetas passim deliberant, Dido, Medea, Althæa, Narcissus.

Consultat cum aliis *a* Anacœnosis: *Si ita haberet Se tua res, quid consilii aut rationis inires?*

Quæro à te C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam socius, &c. pro Quintio.

Quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumes celebrare, Clio.

Quem Deum? Hor. 1. 12. od. Sequitur responsio interrogative etiam. *Quid prius dicam solentis parentis laudibus?* ut appareat hæc cum præcedente figura species esse Dialogismi seu sermocinationis.

a Quasi freta simplici & recta causa se insinuat & urget; tacitamque alterius confessionem extorquet.

Personam inducit *b* Prosopopœia loquentem: *Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem Officiique refers? quod adunci vulnera aratri Rastrorumque fero, totoque exerceor anno.*

Elegantissimæ habentur Prosopopœiæ in oratione pro Cœlio, App. Clodii Cæci, & Sext. Clodii. *Patriæ*, 1. Catilinaria. ubivis.

b Invidiam à se amolitur, in personam quam inducit monentem, objurgantem, &c. cujus species sunt Mimesis & Dialogismus.

Sermonem à præsenti avertit *c* Apostrophe: *Et auro Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?*

Tum tu, O Jupiter, qui iisdem quibus hæc urbs auspiciis à Romulo es Constitutus, quem Statorem hujus urbis, &c. 1. Catilinar.

Vos vos appello, fortissimi viri, qui multum pro patria sanguinem effudistis. pro Milone. Omnibus vero numeris perfectissima Prosop. videatur. 5. Tusc. quæst. Homoioptotis Homoioteleutis, Polyptotis exculta. *O vita Philosophia dux, &c.* Sed & exemplorum apud poetas opimam metere est messem, vel invocantium, *Vos O clarissima mundi Lumina*, vel ὑπερειδόντων τὸ πίπλον τοῦ μέτρου, *ut Munera Bacche, tua, & Unguibus, accipiter, sancia facta tuis.*

c Invocationibus inservit atque excitat attentionem.

Ad Copiam.

Verba *a* Synonymia addit rem signantia eandem:
Enses & gladii. Superatne & vescitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Diversas specie res multas congerit Hirmos.
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes.
Augur, schenobates, medicus, magus; omnia novit.

Quod denique belli genus esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicæ? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex civitatibus, atq; ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia & diversa genera bellorum, & hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed confecta. pro lege Manilia. *Omnia norat, omnium aditus tenebat, &c.* 3. Catilin.

Non dico, Apophasis: *Taceo, Mitto*, est Paralepsis: *Omnia illa quæ sæpe audivistis & memoria tenetis, prætermitto, &c. Nec ea dicam, quæ si dicam, infirmare non possis.* 1. Verrin. *Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiaque, terra mariq; & quanta felicitate gesserit, &c.* pro lege Manilia.

Rem circumloquitur per plura Periphrasis unam:
Trojani belli scriptor. Chironis alumnus.

b *Schemata Grammaticæ Orthographiæ.*

Prosthesis apponit capiti, quod Aphæresis aufert:
Ut; *gnatus, tetuli, ruit, & non temnere divos.*
Syncope de medio tollit quod Epenthesis infert:
Religio, Mavors, jusso, surrexe, repostum.
Aufert Apocope finem, quem dat Paragoge:
Ingeni, Hymen. curru. Tyrio vestirier ostro.
Literulam Antithesis mutat quod & Antistœchon:
Olli subridens, vestrum servom, faciundo.
Transponitque elementa Metathesis; ut, *tibi*
c *Thymbre.*

a Dignitatem, gravitatem, & acrimoniam orationi conciliat, affectusque vehementiam arguit.

b Contra forte quam lex καθ' αὑτό requirit facio, qui figuris Rhetoricis heterogeneas Grammaticales admisceam; adjicere tamen allubuit; ne desiderentur quæ in prioribus editionibus usui esse adverteram. *c* Quod & descendere potest à nominativo *Thymbrus*; frequentior autem est apud Græcos, Transpositio; ut, κραδία, ἔπραθον, θρασύς,

Metri

Metri seu Prosodiæ.

d Ecthlipsis M. vocales aufert Synalœpha.
Tu in me ita es, hem! in te ut ego sum: accu me ibi ama, ut te ego amo hic jam.

d Quæ & Ectasis.

e Systole ducta rapit; correpta Diastolæ ducit:
Recidimus. fleterunt naufragia. semisopita.

e Vel Synecphonesis.

Syllaba de binis confecta Synæresis esto:
f Æripides. alveo. cui. tenuis. parietis. aurea.

f Ab ære tamen χαλκοπόδων, dicit cervum illum, non ab aere propter celeritatem αἰολοπόδα, contendit Jo. Scal. ad Ausonium, l. 1. c. 16.

Dividit in binas partita Diæresis unam:
Evoluisset. ahaneus. evohe. materiâi.

Syntaxeos, ex Defectu.

Dicitur Ellipsis, si ad sensum dictio desit?
Non est solvendo. dicunt. quid plura? quid istis?

Suppositis multis si verbum inserviat unum,
Aut Adjectivum, sit Zeugma: *hic illius arma.*
Huic currus fuit. hircus erit tibi salvus & hœdi.

Personam, genus & numerum conceptio triplex
Accipit indignum Syllepsis sub mage digno:
Tuque puerque eritis. Rex & Regina beati.

Post totum partes capiet generale Prolepsis:
Procedunt castris hinc Acron, inde Quirinus.
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.

Dialyton tollit junctúram & Asyndeton, idque
Articulus faciet: *Rex miles, plebs negat illud.*
Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

In Excessu.

Conjunctura frequens vocum *g* Polysyndeton esto:
Fataque fortunasque virum moresque manusque.
Vocibus exsuperat *h* Pleonasmus, & emphasin auget.
Auribus his audivi, oculis vidi, ore locutus.
Syllabicum adjectum fit vocis fine Parelcon.
Quipote, nummam, etiamnum, hodum, tu Sosia, adesdum.

g Trepidanti convenit & multa per celeritatem atq; animi impetum congerenti. *h* Graviter rem producit, facitq; ut major quam sit appareat.

Membrum

Membrum interjecto sermone Parenthesis auget.
Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.

In Contextu.

c Evocatio.

Personam ad primam c Revocatur, sive secundam,
Tertia. *Qui legis hæc. Populus superamur ab uno.*

d Appositio.

Et casu substantiva d apponuntur eodem:
Turba molesta proci, mons Taurus, fons Aganippe.
Pro toto positæ partis, quam passio signat,
Quartum vel sextum casum Synecdoche tradit
Passivis, neutris, adjectis, participiisque:
Dentibus albo, caput doleo, spoliata lacertos.
Antiptosis amat pro casu ponere casum:
Urbem quam statuo vestra est, trabeate salutas.

a Sive Græcismus.

a Hellenismus erit phrasis aut Constructio Græca.
Desine clamorum, fallunt, ardebat Alexin.
Compositæ in partes est Tmesis sectio vocis:
Quæ mihi cunque placent, septem subjecta trioni.
Hendiades unum in duo solvit, mobile fixum
Dans: *auro & pateris, chalybem frænosque momordit.*

b Heterosis etiam dicitur, & Allœotheta.

Personam, numerum, commutat b Enallage tempus,
Cumque modo genus; ut, *Pereo quod charius est mi.*
Ni faciat, vici, præsto est, hinc spargere voces.
Synthesis est sensu tantum, non congrua voce:
Turba ruunt, aperite aliquis, pars maxima cæsi.
Digna præire solet postponere Anastrophe verba:
Transtra per. Italiam contra. maria omnia circum.
Est vocum inter se turbatus Hyperbaton ordo:
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Abestes,
Littore trinacrio, dederatque abeuntibus heros Dividit.
Casu transposito submutat Hypallage verba:
Impia trabs, videt hos ortus, date classibus Austros.
Hysteron & Proteron sive Hysterologia; secundo
Prima loco ponit: c *Lavinaque littora venit,*
d *Detrudunt naves scopulo,* e *nutrit peperitque.*

c Prolepsin hanc & proanaphonesin appellat A. Gellius l. 10. c. 6. d Præpositionis in compositione regimen nuncupant hoc Grammaticorum filii. e Hoc merum Hysteron Proteron esse volunt.

Qui orationem illustrare volet; lumen petit à Tropis, Metaphora imprimis, & Allegoria: qui jucundam reddere; ad Rhet. dictionis figuras se conferet, verborum iterationes, & contentiones paria paribus relata, similiter cadentia, immutatæ literæ venustates: qui gravem efficere: sententiarum ornamentis cum pondere utetur: qui affectus ciere vult, Amplificationum atroci vehementia insurget.

Apte

¶ *Apte, ut pro varietate materiæ subjectæ, aut motus animi, varietur dicendi genus, formeturque orationis Character.*

Caput artis est, decere quod facias: Sic igitur eloquentiam prudentiamq; miscebit orator, sic decoro scenæq; inserviet, ne quando velit infanti cothurnos Herculis induere, in re sobria bacchari, in tenui turgescere atq; intonare; ut neque è contra in argumento sublimi humi serpere, atq; humi affigere, ut ait ille, divinæ particulam auræ. Mutantur subinde circumstantiæ: ad earum momenta convertatur & Eloquentiæ facies, dispiciat orator non minus quid deceat, quam quid expediat. Ut vero deceat; auditori personæ, tempori, causæ, quandoq; variis causæ partibus, ornamenta propria, figuram & habitum accommodabit, ita demum nativo succo, suoq; colore nitebit oratio. Sciat in docendo requiri acumen, in conciliando lenitatem, in movendo gravitatem, eum denique omne eloquentiæ tulisse punctum, qui humilia subtiliter, grandia elate, mediocria temperate potest dicere. Uti alius ornatus Principi, alius privato convenit; aliud schema militem, aliud agricolam, mercatorem, aut philosophum aliud decet: ita & diversa materia diversos habitus, diversos exigit characteres. Pro re itaque nata & materia subjecta vertet stylum, ut unum formet ex iis quæ dicendi genera Characteres, Ideas nuncupant, numerantq; tres: *Humilem, Mediam, Sublimem.* Quæ omnes à se invicem discernuntur, cum Verbis & Sententiis, tum Luminibus eorum & Ornamentis; nec Periodis minus, Compositione & Numero.

Humilis itaque Idea, erit elegans, pressa, verecunda, leniter fluens, simplex munditiis: non tamen insulta aut ficca, non enervis aut arida.

Aristot. l. 3. Rhet. 7. cap. τὸ πρέπον. Dem. Phal. περὶ ἑρμηνείας. Εἰσὶ δὲ τέτταρες αἱ ἁπλαῖ χαρακτῆρες, &c. Aristides περὶ πολιτικῆς λόγου. Cic. Or. Perfectus Fab. 11. lib. cap. 1. & 12. l. c. 10. Agel. 7. l. 14. c. Her. ἡδὺ ad quam Sturmius quem & vid. l. 1. c. 4. de ratione Elocut. Rhet. & l. 3. c. 6. ut & l. 2. de Imitatione c. 4. Soar. l. 3. c. 51. Str. l. 2. c. 17. &c. Jul. Cæs. Scal. 4. lib. poet. 1. c. Keck. lib. 1. Spec. Rh. 26. cap. Alst. Orat. 5. l. c. 6. & 11. Caulerius l. 5. Dress. l. 3. pag. 909. Hiper. cap. 13. p. 430. & 40. Voss. 5. l. 4. c. Val. l. 5. d. 2. q. 20. De Asiano, Laconico, Attico, Rhodio, antiquo genere. Streb. l. 2. c. 22. Keck. 1. l. Spec. Rh. c. 28. N. Caus. 2. l. Æquabilis hujus & temperatæ virtutis oratores Cicero vocat Statarios. De clar. Orat. Quin & ipsum Ciceronem Seneca epist. 40. appellat. Gradarium.

Media

Modica insurgat aliquanto altior, Translationibus crebrior, sed modestis; figuris florida, egressionibus amœna, sententiis fluens, lenius tamen ad modum lucidi amnis crepante pede per calculos defluentis, pictas utrinque floribus & inumbratas sylvis ripas lambentis.

a Ἀνεσπᾶς ἢ ἰξοχή τις λογου ἐς τὰ ὕψη &c. Long. πίπλης λογοι τὲ ὕψους. *Idem exempla singulorum characterum habes apud Cornificium.*

a *Sublimis*, verborum tum singulari delectu, tum audaci pondere, atroci figurarum dignitate, gravi sententiarum majestate, periodorum respiratione crebra; validioribus vibrata numeris, rapido affectuum æstu, conglobatarum amplificationum acta impete, non fulgure tantum coruscet, aut tonitru terreat, sed & fulmine feriat: aculeum post se relinquat ὁρμὴ δίκα πνεὸς neque in sensus irrepat, sed irruat: instar rapidi torrentis hybernis nivibus aut montano flumine aucti, pontemque aggeremque indignati, sternat agros, saxa devolvat, viam ubi non invenit, faciat; secum auditorem vel contra nitentem, ferat, cogatque ire quò rapit.

b *Pronunciatio.*

b *Cic. 3. de Orat. Aut. ad Her. 3. l. Fab. 11. l. 3. c. Mart. Capel. 5. l. Fortunatianus 3. l. Suarez. 3. l. 56, 57, & 58. c. Dresc. 3. l. p. 931.* Vox Gestus *Melch. Jun. Meth. El c. 21. Hip. c. 16. Keck. Syst. Rh. 2. l. c. 2, 3, 4. Alst. Or. 4. l. 17. c. Caus. l. 9. c. 1. 7, 8. Vossius 5. l. c. 8, 9. Vall. l. 6. disp. 1.*

Hæc tandem est illa virtus, cui Oratorum Græcorum facile princeps, primas, secundas, tertias dedit. Idque jure optimo. Est enim Pronunciatio, sermo & eloquentia corporis, imo ipsa totius eloquentiæ vultus, anima & vita. Quid enim? Annon languent Affectus, intermortua jacet Delectatio, omnis Fidei perit fides, nisi vivæ vocis face animentur, nisi significi Gestus facie figurentur? Hic quippe ad animum per oculos, illa per aures penetrans, intellectum expugnat, affectus in vincula abducit. Huic itaq; tanto futuro bono, etiam à balbutiente infantia, summa adhibeatur cura, pareturq; in lubrico à puericia in adolescentiam transitu; ut vox formetur, firmeturque clara, facilis, distincta, flexibilis quæ prout erit dicendi, asseverandi, monendi usus; prout suggerunt ira, vis, voluptas; dictabunt metus, miseratio, modestia, aliusve quispiam affectus; varie & per gradus intendere se ac remittere, sonoque inflexo reddere lene, asperum, vehemens, tenerum, grave, acutum valeat. Camœnarum hæc princeps Calliope chorum ducat; pro rerum, affectuum, ipsarumq; Orationis partium ratione omnes sonorum gradus variet. In Exordio non protinus vasta erumpat, sed à subtimida & tremula voce paulatim exsurgat. In Epilogo vocem de industria infringet, dabitq; operam ne dissimilis

milis sit Orationi Orator. Atque huic suffragentur vultus, animi speculum; & Oculi, quos Demosthenes lucernas animi appellat, in ira & odio concitandis, non minus quam in gratia & amore conciliandis duces; qui indignationem flamma scintillantes, qui lætitiam juxta ac dolorem lacrymis manantes testentur; modesti sibiq; constantes, ne rigeant aperti nimis, neq; tremuli nitent. c Manus multiplicis habitus artifices, utcunq; mutæ, faciles tamen animi indices & per omnes gentes atq; nationes linguis diversas, communis sermonis interpretes. In agendo dextra principatum obtineat, sublerviat finistra. Tanto autem acriores in animis audientium exardescent faces, quanto vehementiori vocis gestusq; intentione affectuum flammas suo ipsius conceptas & quasi accensas pectore significarit expresseritque Orator.

———*Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.*

In lætitia & voluptate leniter se effundat. In Iracundia insurgat acuta, & incimata. Semper vero norit mensuram lucca sua, nec modum excedat Vultus, Oculi.

c *Manus, sine quibus tranca esset ratio & debilis oratio ne sint otiosa & quiescentes non tamen gesticulosa aut vasta mimicum aut scenicum referentes: sed temperata & qua forum deceant. Dextra præcipue agat; huic finistra subserviat.*

Exercitatio.

EXposita sunt Naturæ primordia & Artis adminicula, superstunt Exercitationis subsidia; sine quibus, corruunt illa & jacent. Agricolæ pertinacissimi solum vel optimum squallet situ, sentibus dumisq; horret, nisi colatur, nisi exerceatur. Subacto, inquit ille, in hi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato atq; iterato; quo meliores fœtus possit & grandiores edere. Subactio autem est Usus, Auditio, Lectio, Literæ. Quibus enim donis cumulari, quibus exculti artibus ipsam Eloquentiæ arcem conscenderunt veteres illi Oratores? An utiq; credimus eorum nascentium labris insedisse flexanimam Suadam, cujus quasi Gratiis afflati evaderent aliquando in Deos mortales, suoque arbitrio moderarentur animorum habenas? An utique opinamur eos è pigris enchiridiis, formularum, observationum rivulis, hausisse, quod suspensa aure biberent audientes: An putamus eos ex insulsis Rhetorum placitis, insipidis scitis, inertibus officinis prompsisse arma, quibus humanas mentes percellerent; artes, quæ altius infixos aculeos post se relinquerent? Errat, longe errat, quisquis virtutem diam in putidis

Cic. 1. de Or. Sosr. l. 1. c. 10. Keck. Rh. sp. 2. l. c. 2. Sopatri Rhetoris Græci. Διαιρεσις ζητημάτων de componendis declamationibus causis positis, & controversiis utrinque delineatis liber utilissimus. Nigronii Or. 8. & 9. de exercitatione dicendi.

latere putetis, Eloquentiam angustis clausam fistulis tam male habitare arbitratur. Ditioris venæ est purum hoc aurum, ab altiore fonte pura hæc aqua. Semina quidem in commune sparsit natura, fovet ea gremio ars præparatque: verum fructus omnis, perfectio, consummatio est, à lectione, studio, cura. Ex tripode penitissimæ sapientiæ est illud *a* Apollonii: Ἀνάγνωσις τροφὴ λέξεώς ἐστι. Lectione velut lætiore pabulo alitur atque enitescit facundia, quippe hinc multijuga exundat eruditio, rerum omnium exuberat scientia, unde parantur amplissimæ dicendi opes. Lectionis vero cum duplex sit usus: unus in orationis corpore formando, alter in anima ejus & mente firmanda; ibi verba & compositio requiruntur ad styli imitationem, hic sensus & dispositio ad rerum cogitationem; utrumque autem prospiciat, ut, qui minus ingenio valent, aliorum subsidio sibi facultates comparent: maxime erit è re præsenti, quantum fieri potest, utrique consulere. Quamprimum igitur puer è Grammaticis excesserit, & emendatæ jam sanæq; structuræ stipendiis emeritus certo pede figit terram; exerceatur probe vertendo è vernaculo in Latina, necnon transferendo è lingua Latina in vulgarem, atque eadem vicissim, interjecto modico tempore, Latine reddendo. Atque hic solicite & accurate versabitur in *b* verborum electione atque phraseos accommodatione. Deinde tingatur mihi leviter *c* Compositionis præceptis, mox etiam *d* Variationis, ita demum instructo expeditior ad Imitationem sternetur via, ad *e* Imitationem, statuam illam Mercurialem, quæ quasi digito viam rectam & compendiariam ad Eloquentiæ arcem commonstrat. Quicquid enim manu suscipitur dextre, quicquid mente concipitur feliciter; omne illud ex-

a *Apollonii Rhodii. Theon. gymnasmat.* 1. c. *Senec.* 85. *epist.*

b *Vide Longinum* περὶ ὕψους.

c περὶ ὀνομάτων ἐκλογῆς. *& l. L. Strebaum de electione & oratoria collocatione verborum: & Phrases Schori.* c *Supr.*

d *Ex præceptis Eras. l. de copia Verborum & Rerum. B. Keck.* 2. *l. Rh. c.* 23. *Rod. Agricola* 3. *l. de invent. c.* 5. e Imitatio. *Cic. de Or.* 2. *l. & in Bruto ad Her. Fab.* 10. *l.* 2. *c.* πῶς κοινὰ διανοήματα ἰδεώσαμεν. Herm. περὶ μεθόδου δεινότητος *L. Vives* 4. *l. de caus. corr. art. & 4. l. de tradendis disciplinis, ubi adjicit exempla Sturm. tribus l. & in nobilitate literata. p.* 332. *Paschal. de opt. genere Elocut. Treutler. meth. Ecl. c.* 14. *Dress. l.* 3. *Keck.* 2. *l. sp. Rh.* 2. *c. Alst. Or.* 2. *l. Caus. l.* 3. *c.* 9. *&* 15. *Vol.* 2. *l.* 10. *c.*

emplari

emplari huic virtuti accepta referat initia & incrementa; pene dixeram, exitus & perfectionem. Quid enim aliud sunt opera summorum artificum? quid aliud Ideæ mente conceptæ, quam exempla quædam prototypa, originales quidam moduli; quæ immitetur solertia, quos ars exprimat. Imo quid aliud sunt Artes ipsæ, quam Naturæ summæ illius opificis pedissequæ & discipulæ, cujus vestigia quo pressius sequuntur, eo propius à perfectione absunt. Quoniam igitur in hujus efficacissimæ virtutis cardine vertitur Eloquentiæ janua, prono studio, affectu, consilio feratur Oratoriæ candidatus, ut alicujus in dicendo sit similis, quem tota mente atq; omni animo defixus intueatur, ut quæ domi non nascuntur, aliunde petantur commoda. Ille autem sit Unus, quo æquabilior componatur stylus; atq; idem in suo genere Optimus & Perfectissimus, in quo & optima quæque sibi proponat imitanda: namque minus errabit qui recte collimabit ad scopum. Jam vero, quem Ciceroni præferendum aut parem invenias? conclamatissimo omnium consensu, Latinæ linguæ patroni, genio, Semoni, Deo; cujus ingenium suo par Imperio nacti sunt Romani rerum Domini. Qui vel hoc nomine sê imitatione dignum præstitit, quod & ipse, cum sê totum (elogium est *a* Fabii, maximi in hac arte magistri) ad imitationem Græcorum contulisset, videtur effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experietur. Sciat ergo se multum profecisse cui placebit Cicero. Perpetuus itaque sit orationis Dictator, disertissimus ille Romuli nepotum. Ex illius felici facilitate proponat alumno suo Rhetor, propinetque periodum unam aut alteram primo, quæ facile admittat imitationem, possitque intelligi, characteris humilis aut mediocris. Subministret illi argumentum aliquod materiæ sequacis, & quæ eandem cum exemplo proposito formam undequaque possit induere. Ostendat deinde Imitandi artem & rationes; ut vel eidem corpori aliam vestem induat, vel eidem vesti aliud quærat corpus? hoc est, 1. ut manentem

b senten-

a 10. *l. Inst. 1. c. contra & pro Cic. vide Caus. l. 2. L. Viv. 4. l. de caus. cor. art. Erasm. Ciceronianum & Rami Ciceronianum. Alst. Or. Praecognita. Nigronii Or. 15. & 16. De laudibus & imitatione Ciceronis. Alios.*

b *Sententiam veteres quod animo sensissent, vocaverunt. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta, sensus vocaremus.*

b sententiam alia investiat oratione; 2. aut sententiæ suæ ac novæ habitum illum orationis modice immutatum conformet atque adaptet. Doceat, 3. quæ ab alio breviter dicta fuerunt, Fusius prosequi & Dilatare; 4. quæ fuse ab aliis explicata sunt, Contrahere; 5. Addere ex proprio; 6. Subtrahere ornamenta, & res vel nude Exponere, vel ornate Variare; 7. ex Græca aliave lingua sumptum sua Latinitate donare; 8. Orationem numeris strictam asserere in libertatem, solutique juris facere; 9. Locutionis figuram, membra, ordinem, exornationem Mutare atque Invertere: ita par & simile adferre, ut sit tamen diversum, & aliud quidpiam esse videatur: ut ars appareat, lateat artificium. Deducat ita instructum in Imitationis arenam, componat cum exemplo, exigatque artis specimen, quod diligenter conferet cum exemplari; monebit, ubi ab exemplo & arte recessum; ipse emendabit, supplebit quæ deerunt, circumcidet si quid redundet. Hinc progrediatur licebit ad longiora, difficiliora, altiora: ad periodos artificiose concinnatas, ad narrationes, confirmationes, argumentationum ac amplificationum formulas, ad paradoxa ejus & orationes denique integras, easque tractandas vel æmulatione parili, vel contrariis causarum partibus susceptis. Monebit interea, compilatoris esse, non Imitatoris, ex alienis centonibus consarcinatis sibi trabeam aut virgatum sagulum consuere: servi pecoris esse, unam aliquam prætextam purpuream repræsentare, non posse corpus universum effingere: tardi hominis esse in furto deprehendi. Videat itaque ne fiat reperundarum reus, ne peculatus aut plagii postuletur, ne de vi aut dolo malo arcessatur. Proinde, neque curet verbum verbo reddere tanquam fidus interpres aut religiosus explicator, neque in venustatis ornatusque cuticula curanda sit solicitus, sed & rei naturam laboret penitus scire: characterem advertat, circumstantias observet, atque illius, quem sibi imitandum susceperit, consilium, acumen, animi indolem, variæ eruditionis carnes, ossa & medullam, argumentorum lacertos & tractationem validam exprimat potius quam verba & stylum. Et cum pigri sit ingenii, maleque de se judicantis, acquiescere inventis, *c* impressis usq; vestigiis insistere, & dum in re tenui solicitam curam adhibet, fateri se rebus magnis imparem; hortetur eum jam æmulari, jam se cum duce suo conferre, si quid supra fieri possit, aggredi, præscripta transcendere,

c *Annicetis apud Ælianum Var. hist. lib. 2. c. 27.*

dere, nare ſine cortice, in altum vehi, ſeque jam ventis permittere. Ad quem palum jam probe exercitatus tyro noſter, ubi vitus eſt firmaſſe pedem habitu certo & æquabili Ciceronianæ orationis filo, educatur per progymnaſmata, chreias, locos communes, Ethologias, *b* &c. in lætiorem campum orationum Demonſtrativarum, latiorem Suaſoriarum. Neque enim hujus ætatis, neque ſane noſtri fori ſunt Judiciales, quarum ſcientia & arte jam non indigemus, ultra quam requirit eorum quæ ſcripta ſunt Analyſis, & artificii obſervatio; poſtquam, ſublata dicendi ſcena, deſcivit ab orationum ſplendore forenſis illa pompa, formularum quarundam anguſtiis terminata. Ut ergo, ab ipſis eloquentiæ cunabulis, legitimè ſtudeat, & per omnes numeros progrediatur candidatus noſter; petenda illi cognitionis rerum facultas, atque opes ex ipſis ſapientiæ penetralibus; 1. Auditione attenta, multa. 2. Lectione preſſa. 3. Commentatione ſeria, 4. Præceptis artis. 5. Diligenti Stylo. 6. Dicendi denique uſu. Utilis apprime eſt *Auditio*; tum quia auris eſt ſcientiæ organum; & quæ ab aliis multo diutinoque ſtudio fuerunt inventa, nobis transfundit horula una: tum quia dicentis viva voce ac ſpiritu movemur magis, excipimuſque nova illa velut naſcentia cum favore & ſolicitudine; trahimuſque inſuper in exemplum ſi quid in pronunciatione, eò quod deceſſit placeat. Auditione tamen ut uberior, ita certior & liberior eſt *Lectio*; audita enim volucri quadam dulectatione abeunt irrevocabilia: lecta repetere licet, ſive artem, prudentiam & conſilium, quæ celavit diſertus artifex, propius advertere; ſive res ipſas memoriæ penitus affigere velimus. Hoc orationis adeoque eruditionis atque ſcientiæ pabulum voremus, &, ut ita dicam helluemur: Hoc veluti quotidiano cibo alatur pinguefcatque oratio. Exhauſta enim eloquentiæ fontis vena ſtatim inareſcit, niſi quotidiana lectione refarcias. Niſi oleum continenter inſtilles, extinguitur lucerna. Studiorum navem regat fixa hæc ſapientiæ polo Cynoſura ſomni inertiæque Oceanum nunquam ſubitura Helice. Firma ſit lectio, certa, aſſidua & conſtans, non deſultoria levitate intermittens aut vaga. Quocirca teneram hanc & muſteam ætatem, ut neque depulſam in totum lactea illa Ciceronis ubertate, ita neque uno utut pulcherrimo prato coercitam velim; at creſcentem, per-

b De primis apud Rhetorem exercitationibus, Falius, l. 1. c. 15. & l. 2. c. 1. & 4. Priſcianus ex Her. p. 322. Theon. Aſthon. Emporius de Ethopœia ac loco communi. L. Viv. 4. l. 1. Aſſt. Orat. l. 3. 2. ſect. 4. 2. 1. Auditio.

2. *Lectio.*

floreos autorum agros liberius vagari; adultam, aperto gaudere cœlo. Idque Zeuxidis exemplo; qui Crotoniatis Helenam picturus, non putavit omnia quæ ad venustatem quæreret, uno in corpore reperiri posse: plures itaque præberi sibi virgines poposcit, ut mutum in simulachrum ex animali exemplo veritas transferretur. Vorandæ plane sunt (b) orationes non Ciceronis modo sed quæ habentur apud Cæsarem, Livium, Salustium, Curtium, Tacitum. Concoquendæ historiæ eorundem, nec non Suetonii, Flori, Velleii, & quorum est historia quæ dicitur Augusta; naturalis historia Plinii superioris, junioris epistolæ, Valerii collectanea. Historia quippe oratorem alit, narrandi facultatem suppeditat, instruit exemplis, quæ quasi præjudicia sunt & experimenta quæ de futuris concludant. Depascendæ Fabii institutiones, & quæ illi adscribuntur declamationes, panegyricæ Plinii & aliorum, Pacati imprimis. Comœdiæ Plauti & Terentii. Libandi adultioribus, Agellius, Capella, Apuleius, cæterique Africi nuperi; denique Petrarcha, Politianus, Lipsius, Strada, & quo nunc calet tantum non juventus omnis, Barclaius. Ante omnia humanioris eruditionis studiosos immorari decet atque innutriri summis illis ingeniis & Moralis scientiæ oraculis Platoni, Senecæ, Plutarcho. Quam salutaris autem vel necessarius potius sit futuro oratori poetarum haustus, Oratorum princeps, Oratoriæque primores consentiunt; Legendi, (a) inquiunt, sunt Poetæ, quorum lectio plurimum confert oratori; namque ab his & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur. Quippe divino quodam numinis afflatu concitati, immortale quiddam ac cœleste spirant; sententiarum concinnitate mirabiles, lumine verborum conspicui, numerorum modulatione suavissimi. Meminerimus tamen non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia sententiarum: neque (a) totos

(b) *Imprimis Orationes pro Archia poeta pro Milone, M. Marcello, Ligario, Roscio Amerino, Deiotaro, Murena Sylla, Cœlio, Philippic. 2. In Catilinam 1. 2. & 3. In Verrem 6. & 7. Vide & Kec. l. 1. spe. Rh. cap. 1. & Val. 2. l. 11. q.*

(a) *Cic. 1. Or. Quint 10. l. 1. cap. Tragici imprimis, cum verborum delectu, numerorum suavitate, sententiarum pondere admirabiles; tum decori observantissimi.*

(a) περὶ χρήσεως ἐπῶν ἐν πεζῷ λόγῳ, Hermogenes, περὶ μεθόδου δεινότητος. *Nos apes debemus imitari, & quæcunque ex diversa lectione congessimus separare: melius enim distincta. &c.* Sen. 84. epist. & 33. *Ad rerum excerpta, habentur sub hujus libri calce communium locorum capita, si quis cura habeat hanc curam.*

versus

versus aut hemistichia solutæ orationi infarcienda. Verum, ne memoria tot tantarumque rerum multifaria & confusa lectione obruatur; ne quid ex iis quæ legimus, audivimus, cogitando ipsi invenimus, desideretur: utile imprimis erit, quæ illustria sunt & notanda videntur, librorum custodiis concredere, tanquam cellæ penuariæ & succenturiato memoriæ subsidio. Quorum altero, notentur verba rara, nova aut novo sensu usurpata; phrases insigniores suis quæque distinctæ titulis; formulæ elegantiores, ad Contextum, & Materiam, quarum exhibetur tabella infra, & in sequentibus specimen. Altero adnotabuntur Ornamenta & Argumenta, Similitudines, & Translationes, quæ sunt in unam vocem contractæ Similitudines, allegoriæ, imagines, exempla acutiora dicta, sententiæ, allusiones, aut quæ alludi vel inverti possunt; eaque digesta omnia, & per ordinem Alphabeticum suis titulis atque capitibus tanquam favis cellisque subjecta. Quoniam vero, ut ait (*b*) ille, nemo percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat; per quæ colligitur eandem esse rationem & percipiendi quæ proferas, & proferendi quæ perceperis: ne condi magis alienorum effatorum quam nostrorum conceptuum promi simus; intingendus tandem in nostram animi mentem erit calamus, Senatus convocandus in corde consiliarius; stylusque inde acuendus. Nec quæ legeris, in codicum, aut etiam memoriæ adversaria tam referenda erunt, quam mentis; curandumque ut eant in ingenium, quippe cujus in vasculo liberius, ac frequentius tingatur stylus quam memoriæ. Tot tamque variarum undecunque congestarum opum, quo propriæ fiant nostrique juris, immutanda est qualitas & proprietas, ut vulgo loquuntur. Ne patiamur itaque illa quæ hausimus manere integra & quasi solida innatare stomacho, quem ægrum atque infirmum arguunt quoties eadem specie redduntur cibi qua sumpti sunt: sed ea naturæ beneficio concoquamus in chylum ut hinc in sanguinem & alimentum transeant. Non tam memori vomitu cruda regeramus, quam ingenii fermento tot granorum miscellanea in panem convertamus. Tot roris gemmas, tot florum sucos ita spiritus nostri proprietate mutemus, ut diversa labamina & sapores in unum mel coalescant.

(b) Messala in dialogo quem alii Tacito alii Quintiliano adjudicant. 3. *Meditatio & Commentatio.*

Ita in unum conſpirent voces variæ & inſtrumenta diverſa, ut ſingulorum lateant voces, omnium appareant, ut ex tot diſſonis fiat chorus unus, concentus unus. Eruditum itaque hunc pulverem prorſus intenti ſtudii radio exaremus, acrem ingenii totam quaſi ſigulinam verſemus, ad judicii ſtateram omnia perpendamus, ex ingenii pixide per inventionem propriam, vel ex ærario mentis per recordationem promamus, quæ ad rem noſtram faciunt: Quod fiet, ſi mentis dexteritate, elicito ſtudii atque animi conflictu & quaſi obſtetricia meditationis opera, res variè miſtas ita temperemus atque in unum corpus redigamus, ut, etiamſi appareat unde ſumptum ſit, aliud tamen, quam unde ſumptum ſit, appareat. Lecta hæc ſemina, novali ſubacto credita, prement aliquando terram ſegete, rumpent meſſe horrea: ſi accedat æque diſerta periti cultoris ſolertia. Præceptor igitur, & ipſe minime rudis & maxime exercitatus, ex hoc noſtro aut alio Rhetorices compendio artis præcepta enarrabit, locos inventionis, definitiones eorum, Maximas, tractationes, adjunctis exemplis illuſtrabit. Non tamen omnia accurate & ad tenue: vel ob hoc, quod magiſtrum fere artis reperias neminem, teſte Ciceronе, qui ipſe eloquens fuerit: nudæ enim illæ artes nimia plerumque ſubtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quicquid eſt in oratione ipſoque ſpiritu generoſius, omnem ſuccum ebibunt & olla deterunt. Noviſſime docebit proprios Affectuum motus & concitationes. Et jam tandem proponet rhetorculo ſuo argumenta, è fabulis poeticis, tragicis ut plurimum, hiſtoricis, Ethicis, declamanda, atque ea quandoque in partes contrarias, verum hæc veritati quam maxime conſona, & quorum ſit uſus aliquis in vita deinceps futurus; licebitque aliquando experiendi exercendique ingenii gratia proponere paradoxa & abſurda. Præformabit illi primum declamandi materiam & ſupellectilem, delineabit veſtigia, digitum ad fontes lectionis intendet, commonſtrabit argumenta, ſuppeditabit colores; mox eum ſibi permittet, ſuis ut viribus abſque adminiculo poſſit progredi. Progreſſus autem faciet non ſine ſumma ſpe ad laudes ampliſſimas, ſi ſe totum & rite tradiderit *Stylo*, optimo & præſtantiſſimo dicendi magiſtro, autori, affectori: Hic enim vires ingenii experitur, mentem exacuit, memoriam excitat, judicium formát, ar-

4. *Præcepta Artis.*

5. *Stylus.*

tis præcepta illustrat, lectionis fructum exigit: studii practica, cogitationum Hermes, mandatorum nuncius, scientiarum monimentum; quem cum multi per ignaviam fugiunt, quia magni est laboris, tum plurimi per insciţiam aversantur, eo quod rationem ejus nesciant; profani, & illotis pedibus, aut manibus potius, tantæ artis penetralia aggressi. His autem mysteriis initiatus *hoc agat*, rem curæ tam seriæ, consilii tam sacri, etiam atque etiam recta reputet viæ. Prius igitur quam calamum in manum sumat; operam det penitus intelligere quæstionis & rei, de qua dicendum sit, naturam, genus, statum. Deinde sibi autem pervellet exigetque à memoria sua, si quid usquam audiverit super ea re legeritve, conturbata habebit autorum capita, sententiasque eorum quasi per satyram anquiret; suæ meditationis advocabit obstetriciam manum, solertis ingenii aciem interdet, omnia diligentur versabit, quæstionem si finita sit, ad infinitam avocabit, circumstantias perpendet: hinc latibula argumentorum lustrabit, eruet quæcunque ad conciliationem, fidem, motum faciunt. Delectum habebit copiarum; levia quæ sunt & futilia rejiciet plane, exautorabit, cassabirque, ut isti loquuntur: quæ virtute valent & pondere, distinguet etiam; ut Velites expediantur, in acie stent Hastati, Principes collocentur medii, subsideant in postremis Triarii. Quas omnes argumentorum, exemplorum, similitudinum, sententiarum copias ubi explicuerit in una tabellæ facie, ut ibi in procinctu & statione appareant, evocandæ prout fuerit opus: cogitandum erit non tantum quo ordine, sed & quo apparatu, quam valido, quam splendido instructæ procedant: ut oratio verborum stellis, sideribus phrasium, sententiarum luminibus distincta, niteat Elegantia, Compositione fluat, Ornatu splendeat. Et tum denique ab indagationis industria, & solertia commentationis, se ad scribendum conferet. Ad commodiorem autem meditandi curam scribendique laborem conducet plurimum, si in quietum aliquem locum, secretum, atque arbitris liberum se recipiat, eundemque obscurum; secessu quippe, silentio, tenebrisque; alitur mens; sibi vacua altisque operi intenta, quoties extrinsecis avocamentis distracta non impeditur. Hic tandem stringat calamum, acuat stylum; in exercitationis hujus incunabulis tardum, in progressu temporis & facultatis, velociorem; semper diligentem:

Orationes 6. & 7. Nigronii de

ita tamen diligentem, ut videat, ne quando penna ad ingenium suum redeat, præcipiti acta festinatione; neq; enim verendum est, ne manum de tabula neſciat tollere. At, ne quando à propoſito extra oleas, quod aiunt, vagetur; ſuſpiciendum erit ſubinde thema; ne maceriæ extruantur & arena ſine calce, repetenda ſæpius erunt proximè ſcripta: tum ad ſtyli commiſſuram, quo melius connectantur præcedentibus ſequentia; tum ad cogitationis calorem, qui, ſi ſcribendi intercapedine refrixerit, ex integro recipiet vires, &, quod in certamine ſaltus fieri ſolet, velut repetito ſpatio ſumet impetum. Sequitur, ut examinet præceptor & emendet quæ ille ſcripſerit; improba & otioſa expungat, proba & gravia ponat, in locum fortuitorum ſufficiat lecta, pro inſuavibus dulcia, pro confuſis compoſita ſuggerat, antiquitatis horrorem excolat, floridæ novitatis ambitionem coerceat. Aliquantulum veniæ tamen indulgebit ubertati & elegantiæ, quinimo alet potius indolem lætam, generoſos conatus & vel plura juſto concipientem ſpiritum fovebit, & ſatiari veluti quodam jucundioris diſciplinæ cibo lacteq; patietur. Volo, inquit Orator, ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. Nam facilius ſicut in vitibus revocantur ea quæ ſeſe nimium profuderunt, quam ſi, nihil valente materia nova ſarmenta cultura excitentur: ita, volo eſſe in adoleſcente unde aliquid amputem. Luxuriem quippe depaſcet increſcens cum ætate ſtylus, multum, inde anni decoquent, multum ratio limabit, aliquid ipſo uſu deteretur. Non autem poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum. Nec placet muſtum quod in lacu ſtatim eſt auſterum: id fiat annis; ſic & annos feret, & cum ætate proficiet. Deniq; ne pereat gratia Muſicæ occultæ ne virtuti celatæ inuratur nota ſepultæ inertiæ; ſupereſt, ut materiæ ita formatæ habitus producatur in actum; ut arte ſtudioque decurtata & domi elaborata oratio in ſolem & pulverem prodeat, in caſtra & aciem procedat, cui rei à Memoria maximum eſt ſubſidium. Quam ut fixam, firmam, fidamq; habeas, devorandum eſt tædium illud ſcripta aliena & tua ad verbum ediſcendi, quæ penitus cognita atque intellecta, rite atq; ex artis methodo diſpoſita diligenter leges, adverteſq; res primo, deinde verba: eaq; per intervalla & certas partes diviſa, ediſces ex iiſdem tabellis quibus ſcripſeris; tenacius quippe Memoria (quæ non eſt quid ab intellectu, niſi ratione diſtinctum)

Cic. 1. de Orarore.

Actio ſive Pronunciatio.

Nigron. Or. 15. de Memoria.

distinctum) apprehendit eorum vestigia, quæ sibi familiaria non incuriosi tradiderunt oculi. Quæ itaque imprimenda animo curaveris, apud te tacitè sub forma tempus, quo plus firmitatis adferat noctis interpositæ quies & silentium, repetes, exigesque à memoria postero mane, defæcato, à cibi decoctione & curarum æstu, animo. Deinceps probè meditata & comprehensa in solitario aliquo loco recitabis, Voce clara, distincta, non stridula aut intenta (in Exordio minime) non unius toni, sed modulata pro varia materiæ, argumentorum, sententiarum, affectuum ratione, cui vultus consentiat, subsequatq; Gestus rebus quæ aguntur congruus; non vastus, neque histrionicus tamen, sed decorus & temperatus. Quæ omnia ut cum gratia, venustate, & judicio præstare, yaleas, operæ pretium, imo necessarium erit, ut ipse audias alios, te alii, iique artifices, qui exemplo feliciter præeant, consilio fideliter moneant quæ sequaris, quæ fugias; atque ii certe disertius quam vel eburnea Gracchi fistula, vel Demosthenis speculum, tibi vocem modulentur, gestum figurent. Tum demum bona cum tui fiducia prodire in publicum licebit. Actio autem usu repetita relegabit metum, solicitudinem, iram, rusticum pudorem, cæterosque affectus qui memoriæ ac liberiori gestui præjudicant & officiunt.

Artis præcepta levidensi quodam filo & soloci pertexui: quæ compendii studio omiserim, ex iis ipsis quos indicavi fontibus, facile licebit petere. Præceptis his si felicis ingenii vestri (Opt. Juvenes) facultatem excolere, si habitum & disertam dicendi facilitatem usu acquirere non pigebit; ibunt indolis vestræ flores (quos Naturæ produxit tellus, Artis firmat sol, Exercitationis educat imber) in Eloquentiæ & Prudentiæ fructus. Summus illæ Naturæ parens fructus hosce, quorum ipse sparsit semina, ita benigno foveat numine; ita radiis suis illustret animetque æternus Justitiæ & sapientiæ Sol; ita gratiæ suæ aura mulceat, imbre riget Sacrosanctus Favonius, ut canescentes illi indies ad maturitatem in animis vestris, vos ipsos ad consummatissimæ virtutis arcem evehant, ad fastigatissimi Honoris apicem promoveant, in Reip. emolumentum, Divini nominis gloriam, vestram salutem æternam.

FINIS.

Et quia illorum mentio facta est suprà, pag. 51. adjicienda curavimus concenturiata Communium Locorum capita; in eorum gratiam, quibus cura erit studiumq; conficiendi memoralia volumina.

A.

Abstinentia, Abusus, Academia, Actio, Accusatio, Adolescentia, Adversa res, Adulatio, Adulterium, Ædificia, Æmulatio, Æqualitas animi, Æqualitas, Ætas, Affectus, Affinitas, Agricultura, Aliena Ambitio, Amicitia, Amor, Amor sui, Angeli, Anima, Animantia, Animus, Arrogantia, Ars, Artes liberales, Artes, Asperitas, Avaritia, Audacia, Auditus, Aula, Aurum, Auspicia, Auxiliares, Auxilium.

B.

Bellum, Beneficentia, Bona naturæ, fortuna, animi, Boni, Bonitas, Bonum, Brevitas.

C.

Cades, Calumnia, Castitas, Causa, Ceremonia, Cibus, Civis, Civilium rerum usus, Clementia, Cœlebatus, Cœlum, Comitas, Communio, rerum Concordia, Confessio, Conjugium, Conjugalis fides, Conscientia bona, Conscientia mala, Consilium, Consolatio, Constantia, Consuetudo, Contentus animus, Contractus, Conversatio, Convivium, Corpus, Correctio, Corruptio, Crudelitas, Crudelitas, Cura, Cura præposterа, Curiositas.

D.

Damnum, Decorum, Delirium, Deformitas, Degeneratio, Delicia, Desperatio, Detractores, Deus, Dies, Discipulus, Disciplina, Discordia, Dissimulatio, Dives, Divitiæ, Divinatio, Doctrina, Dolor, Dolus, Dos, Dux.

E.

Elrietas, Educatio, Elementa, Eloquentia, Error, Eventus, Exemplum, Exercitatio, Exilium, Experientia.

F.

Facilitas, Fama, Fames, Familia, Fatum, Favor, Felicitas, Fides, Finis, Forma, Fortitudo, Fortuna, Forum, Fratres, Frans, Frugalitas, Fruges, Fuga, Furor, Furtum.

G.

Garrulitas, Gaudium, Gestus corporis, Gloria, Gratitudo, Gula.

H.

Hæredes, Historia, Histriones, Homo, Honestas, Honor, Horti, Hospites, Humanitas, Humilitas.

Jactantia,

I.

Jactantia, Ignavia, Ignorantia, Imitatio, Imperium, Impietas, Impudentia, Indoles, Industria, Infamia, Infantia, Inferi, Infirmitas, Ingenium, Ingratitudo, Inhumanitas, Inimicitia, Injuria, Injustitia, Innocentia, Institutio, Insania, Interitus, Inventa, Invidia, Ipse, Ira, Irrisio, Judicium, Juris scientia, Jus, Jusjurandum, Justitia.

L.

Labor, Lacryma, Latitia, Leges, Jura, consuetudines gentium, Legatus, Levitas, Liberalitas, Liberi, Libertas, Libido, Licentia, Licita, Lingua, Lis, Locus, Lucrum, Ludus, Luxus.

M.

Magistratus, Magnificentia, Majestas, Mala, Maledicentia, Mali, Malitia, Meditina, Mediocritas, Meditatio, Memoria, Mendacium, Mens, Mercatura, Meretrix, Metalla, Meteora, Metus, Militia, Miracula, Miseria, Misericordia, Modestia, Mora, Morbi, Mores, Morum gravitas, Mores gentium varii, Mors & sepultura, Mulier, Mundus, Munera, Mutationes, Mutuum.

N.

Natura, Naturales res, Navigatio, Necessitas, Nobilitas, Nosce te ipsum, Noverca, Novitas, Nox, Numerus, Numina, Nuptiæ, & ritus.

O.

Obedientia, Obsequium, Oblivio, Occasio, Otium, Oculus, Odium, Officium, Omina, Opinio, Opus, Oracula, Oratio, Ordo, Ornatus.

P.

Parentes, Parricidium, Passio, Patientia, Patria, Paupertas, Pax, Peccatum, Peregrinatio, Perfidia, Perjuria, Perseverantia, Petitio, Pestis, Philosophia, Pietas, Pictura, Pœna, Pœnitentia, Poeta & Poesis, Politia, Potentia, Potentioribus non adversandum, Præceptores, Præsentibus fruendum, Principes, Principium, Prodigalitas, Prodigia, Proditio, Promissa, Prospera res, Providentia, Prudentia, Principiis obsta, Pudor, Pudicitia, Puerilia, Pulchritudo.

Q.

Quæstiones curiosæ, Querela.

R.

Rapina, Ratio, Recreatio, Regnum, Religio, Reprehensio, Repugnantia, Resipiscentia, Respublica, Rhetores, Risus, Robur, Rus.

S.

Sacerdotes, Sacrificium, Sacrilegium, Sapientia, Scelus, Scientia, Scriptum, Securitas, Seditio, Secta, Sensus, Senectus, Servus, & Servitus, Severitas Silentium, Similitudo, Simultas, Simulatio, Simulacra, Sitis, Sobrietas, Societas humana, Societas honesta, Societas prava, Solitudo, Salertia, Somnus, Somnia, Species recti Spectrum, Spes Studium Stultitia, Subditi, Sublimis vita conditio, Superbia, Superstitio, Suspitio.

T.

Taciturnitas, Tadium, Teneritas Temperantia, Templa, Temporum res gesta, Tempus, Terræ regionesque, Testis, Testamenta, Timor, Tormenta, Tranquillitas, Tueri parta, Turpitudo, Tyrannis.

V.

Valetudo, Varietas, Venatio, Venia, Veneficia, Ver, Verbum, Verecundia, Veritas, Vestitus, Vetitum, Vicini, Vicissitudo rerum, Victoria, Vigilantia, Vindicta, Vinum, Virtus, Virginitas, Vis, Vita, Vita privata, Vitia, Vitiorum fuga, Ultio, Ultio divina, Unitas, Voluntas, Voluptas, Vota, Urbi, Usura, Usus, Utilitas, Vulgus, Vultus, Uxor.

FINIS.

DE FORMULARUM *Usu & Imitatione.*

FOrmulæ aliquot Oratoriæ à me olim, quasi parectato, rudi quadam farragine congestæ, non ita pridem sub alienis auspiciis vexillisque in aciem processerant. Has, quia semel, ipsius, qui ediderat, rogatu, publici juris feci, nec dum mihi satis apparuit causæ, cur prolem illam, quæ vel adeo implumis ad fidem solis educta (nisi infidus sit amicorum portus; affectu quam judicio fallacior) exploratores ignes irretorto contueri lumine sustinuit, unguibus sævis laniatam nido præcipitem datem: agnitam & vindicatam fovere hic lubet, suscipere, & proferre: si pauca prius de consilio in iis meo, ipsarumq; usu dixero. Atque in his quia Imitatio utramque paginam facit, utrumque munus & staminis & subteminis subit; non pigebit ab illius exemplo telam ordiri.

Ab Aristotele etiam laudatum, Eth. ad Nichomacum. l. 1.

Inter Georgica Hesiodi præcepta decantatissimum est illud & πολυθρύλλητον.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει,
Φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δὲ κὲ μηθ' αὐτῷ νοέῃ, μητ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὅδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Quo respiciens T. Livius, (a) oratione, quam Minutio, cujus temeritatem fortuna deprehenderat, malèque mulctarat, nisi nubes ei, quæ in montium jugis sedebat, solicitata imbrem dedisset, h. e. nisi legionibus Minutianis in extremo jam discrimine laborantibus Fabiana se acies repente, velut è cœlo demissa ad auxilium, ostendisset: Orationi, inquam, illi quam Minutio affingit T. Livius milites suos hortaturo, supplices se, gratosq; Fabio præstarent, hoc præfigit exordium; *Sæpe ego audivi, Milites eum primum esse virum, qui sibi ipse consulat, quid in rem suam sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse sibi consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse, &c.* Quod item ante oculos habuit dubio procul Seneca, (b) *Nemo*, inquit, *per se satis valet, ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adjuto-*

(a) Dec. 3. l. 2.

(c) Epist. 52.

rio

rio contendere; hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui seipsos protulerunt: Quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo præcesserit sed bene secturos; egregium hoc quoque, sed secundæ sortis ingenium. Nos ex illa prima nota non sumus, bona nobiscum agitur si in hanc secundam recipimur. Neque hunc quidem contempseris, qui alieno beneficio salvus esse potest & hoc multum est, velle salvari. Præter hæc adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipsum quidem fastidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique possunt, quibus non duce tantum opus sit, sed adjutore, & ut ita dicam, coactore; hic tertius color est. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis suspicit. Quamvis enim ad eundem finem uterque pervenerit, tamen major est laus idem effecisse in difficiliore materia, &c. Mox. Quadam ingenia facilia, & expedita quadam manu quod aiunt, tractanda sunt, & in fundamentis suis occupanda. Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii secum habuit: hunc quidem de se melius meruisse qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit sed extraxit. Hoc durum & laboriosum ingenium nobis datum, scias licet, imus per offantia. Itaque pugnemus, aliorum invocemus auxilium. Quem, inquis, invocabo, hunc, aut illum? Tu vero etiam ad priores revertere, qui vacant. Adjuvare non possunt, non tantum qui sunt; sed & qui fuerunt, &c. Nec veritas tantum, O Philosophe, in Democriti puteo latet, indigetque Delio urinatore; sed & doctrinæ Moly, flore nitens lacteo, nigra squallet radice, χαλεπὸν δὲ τ' ὀρύσσειν Ἀνδράσι γε θνητοῖσι: sed & aureum scientiæ ramum regit omnis Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ. Quem, quia pauci, quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus, Dîis geniti potuere ingenii sui Marte eruere, liceat modo Mercurii indiciis oblatum capere, aut Veneris auspiciis rtè repertum carpere. a Synes. tit. Deus. a Ἃ δὲ ἀ ικάλλιστα, Μίμησις ἥδε ταῦτα συνθηρεύεται. In magnis illis animi ad artes & virtutes formandi Georgicis, ἀυδαίμοσιν illos & Suzilus pronunciat Plutarchus, quibus divinitus contigere ad consummatam perfectionem tria illa absolutè necessaria, viz. 1. ingenii solum fertile, 2. institutionum bona semina, 3. diligens institutoris cultura, & exercitatio. Natura quippe ab arte promovetur, utraque ab exercitatione firmatur atque perficitur. Quis itaque Eloquentiæ, quo non præstantius aliud munus homini à Deo datum est, fructum?

fructum? quis, non dico, Suadæ medullam, ſed vel illibatum orationis florem. à pueris expetat, aut etiam expectet, quibus nondum per ætatem aut ſtudium datur ſapere, quibus inventionis facilitas, ingenii felicitas, ipſius rationis vix-dum illuxit lumen? *Stratus humi palmes viduas deſiderat ulmos.* Fedamenta itaque admoveantur ab Arte, & Imitatione, ut quæ ex ſe non habent, mutuo aliunde ſumant; atque ita ſumant, ut lecte, libere, prudenter inſtituta imitatione, ex ſuo ipſius cerebro prognata hæc Pallas parentis referat imaginem; non aperte, ſerviliter, inepte ſuſcepta, opus Muſivum aut cento eruditis bilem concitet, aut furtivis nudata coloribus cornicula riſum moveat. Imitandi rationem, methodum, modos, κρύψιν, gradus, ſupra attigimus Indicis Rhetorici pag. 42. & ſeq. Hic ἄσκησιν exercitationemque cur referre pigeat, cum ſummi ingenii viros in hac arena deſudâſſe non puduerit? Quot loca ex Platone & Ariſtotele, Dialogis ſuis & Rhetoricis inſeruit Eloquentiæ Romanæ parens Cicero, hæc vertendo, illa explicando, alia imitando? ad Demoſthenis vim ubiq; affectat viam, non ſemper aſſequitur, Philippicæ certe Ciceronis in totum olent Demoſthenis lucernam. Nec non *a* ipſe Demoſthenes quatuor annos impendit orationibus Iſæi imitandis. Ut cæteros Poetas taceam, (quos *b* Galaton pinxit catillantes quæ vomuerat Homerus) quid Virgilius? annon Homeri, Heſiodi, Theocriti, Pindari etiam, Apollonii, atq; aliorum preſſe & quaſi religioſe inſiſtit veſtigiis? Plinius *c* vero honori ſibi duxit Ciceronem æmulari, nec fateri erubuit *Eſt mihi*, inquit, *cum Cicerone æmulatio, nec ſum contentus eloquentia noſtri ſeculi.* Quod & alios facitaſſe ut liqueat, adducam locum illum *d* Iſocratis: Τῆς ἀρετῆς μὴ ὑδὲν κτῆμα σωμάτιον, ἀ δὲ βέβαιοτέρον ὄζι. καλλω μὴ ἡ χρόνῳ ἀναλωσιν, τόσος ἐμίρισε πλέονες δὲ κακίας μᾶλλον, ἢ καλοκαγαθίας ὑπάρξασ ὄζιν ἐξεσίαι μὴ τῇ ῥᾳθυμίᾳ παρασκευάζειν, ὰς δὲ τὰς ἡλικίας τὰς νέας παρακαλῶν. ῥάμιν δὲ μὴ μ᾽ φησήσειας ἀφίλλειν, ἄλλ᾽ δὲ σαυτὸς, πλείω τὰς ἐχέιας ἐδαλῶ, ἢ τὰ μὴ σώματα τῶν ἀσκάντων ἐκόσμησε, ἢ δὲ τ᾽ ψυχῆς ὑπμελείας ὑπηκόσησε. ἡ δὲ τ᾽ ἀρετῆς κλῆσις, ὅις ἂν ἀκριβάλως ἐν ἢ διανοίᾳ συναυξηθῇ, μόνη μὴ ἀ χαρίσκει, πλεῖα δὲ κρείτλων, χρησιμωτέρα δὲ ἐυγενείας ὄζι. Quem criſpo & rotundo ſane agmine complexus eſt Saluſtius in Catilinaria præfatione.

a *Plutarch. in Dem.*
b *Ælian. Var. hiſt. l.* 13. *c.* 22.
c *l.* 2. *ep.* 1.
d *Or. ad Demonicum.*

tione. *Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara æternaque habetur.* In Jugurthina prolixior. *Præclara facies, magna divitiæ, ad hoc, vis corporis, & alia hujuscemodi brevi dilabuntur: at ingenii egregia facinora, sicut anima, immortalia sunt. Postremo corporis, & fortunæ bonorum, ut initium, sic finis est: Omniaque orta occidunt, & aucta senescunt: animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, nec ipse habetur.* Hunc fusius expressit Plutarchus, (a) τὰ μὲν ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπινα καὶ μικρὰ, καὶ οὐκ ἀξιοσπούδαστα καθέστηκεν. Εὐγένεια καλὸν μὲν, ἀλλὰ περιγόνων ἀγαθόν. Πλοῦτος δὲ, τίμιον μὲν, ἀλλὰ τύχης κτῆμα, ἐποιδὴ τῶν μὲν ἐχόντων πολλάκις ἀφείλετο, τοῖς δ' οὐκ ἐλπίσασι φέρουσα προσήνεγκε καὶ ὁ πολὺς πλοῦτος σκοπὸς ἔκκειται τοῖς βουλομένοις βαλάντια τοξεύειν, κακούργοις, οἰκέταις, καὶ συκοφάνταις καὶ τὸ μέγιστον ὅτι καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστι. Δόξα γε μὲν σεμνὸν, ἀλλ' ἀβέβαιον. Κάλλος δὲ περιμαχητὸν μὲν, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον. ὑγίεια δὲ τίμιον μὲν, ἀλλ' εὐμετάστατον. ἰσχὺς δὴ ζηλωτὸν μὲν, ἀλλὰ νόσῳ ἐνάλωτον καὶ γήρᾳ. τὸ δὲ ὅλον, εἰ τίς ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ φρονεῖ, μαθέτω γνώμης διαμαρτάνων, πόσον γὰρ ἐστὶν ἰσχὺς ἀνθρωπίνου (ἥττων) τῶν ἄλλων ζώων δυνάμεως; λέγω δὲ οἷον ἐλεφάντων, καὶ ταύρων, καὶ λεόντων. Παιδεία δὲ τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἐστὶν ἀθάνατον καὶ θεῖον. (b) Apuleius ægre illum ambulare judicans, qui pedem semper ponit in alieno vestigio, nec sibi metas præstituit, nec se intra alieni ingenii pomœria terminavit: sed liberius, pro more suo & patrio vagatus, ita lusit; *Aliena voco quæ parentes pepererunt, & quæ fortuna largita est, &c. Generosus est? parentes laudas. Dives est? non credo fortunæ. Magis ista dinumero. Validus est? Ægritudine fatigabitur. Pernix est? alibit in senectutem. Formosus est? expecta paulisper, & non erit. At enim bonis artibus doctus, & adprime est eruditus, & quantum licet homini, sapiens & boni consultus est? tandem aliquando ipsum virum laudas. Hoc enim nec à patre hæreditarium est, nec casu pendulum, nec à suffragio anniculum, nec à corpore caducum, nec ab ætate mutabile.* Quamvis hic, ut & alibi, Senecam (c) ob oculos, & in mente habuisse, mihi ex Proleptico artificio videtur. *Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? & leones: formosus est? & pavones: velox est? & equi;*

(a) περὶ παίδων ἀγωγῆς.

(b) De Deo Socratis.

(c) Epist. 76.

non

non dico, in his omnibus vincitur. Non quaro quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores: habet impetum & motum voluntarium? & bestia, & vermes: habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquila, graviorem tauri, dulciorem mobiliorema; Luscinia? Quid in homine proprium? Ratio, hac recta & consummata felicitatem hominis implevit. A quo exemplari non admodum discedit Boethius. (b) *Quid enim? pecuniamne congerere conaberis? sed eripies habenti: Dignitatibus fulgere velis? danti supplicabis: & qui praire cæteros honore cupis poscendi humilitate vilesces. Potentiamne desideras? subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis? sed per aspera quaq; distractus, securus esse desistis. Voluptariam vitam degas? sed quis non spernat atq; abjiciat vilissima fragilissimaq; rei corporis servitium? jam vero qui bona pra se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione nituntur? Num enim elephantos mole, tauros robore, superare poteritis? Num tigres velocitate praibitis? Forma vero nitor; ut rapidus est, ut velox & vernalium florum mutabilitate fugacior! Respicite cœli spatium, firmitudinem, celeritatem: & desinite aliquando vilia mirari.* Videte denique hos subsecutum Minucium Felicem. *Rex es: tam times, quam timeris, & quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es: sed fortunæ male creditur, & magno viatico breve iter non instruitur sed oneratur. Fascibus & purpuris gloriaris: vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es: parentes tuos laudas: omnes tamen pari sorte nascimur; sola virtute distinguimur.* Quorsum hæc omnia? certe ut intelligatur etiam gravibus viris, & in altum eloquentiæ provectis Imitationem præluxisse cursus sui Helicen & Cynosuram. Non itaq; pudori, nec tædio esse debet teneræ ætati, cui instituendæ hæc qualiacunque inserviunt τοῖς νεκροῖς συνχρωτιζομένοις majorum virtutes intueri, animisq; ad virtutem hanc accendi. Præclara illa vox est, & viro summo digna, si cui datur eam vere de se protulisse, *Libera per vacuum posui vestigia princeps, Non aliena meo pressi pede.*

(b) De consol. Philosophiæ. l. 3. prof. 8.

Verum enim vero in secundis, aut etiam tertiis stare aliquid est. Si negatur Jovis non imitabile fulmen vibrare; proximos tamen illi honores, etsi proximos longo post intervallo, & manubias secundas tractare Palladi liceat, juvetq; sequi patrem, licet *non passibus æquis.*

Prima

Prima itaq; & præcipua probi atq; legitimi imitatoris cura sit, Rerum, ac Sensûs: proxima, Verborum & Coloris, ut ejus quem imitandum suscepimus, primo animi consilia, & altam vegetæ mentis vim intelligamus, hæc probe concocta acri meditatione in animi nostri venas trajiciamus, ut corpus ipsum orationis, quæ speculum animi est, solidum & succi plenum efformetur, argumentorum ossibus firmum, sententiarum medulla & stentum, motuum nervis validum. Deinde, ut circa carnis cutisque colores versemur, vocum, figurarum, phrasium, formularum. Ejusmodi oratio non intra labra natans, sed in penitissimi cordis penetralibus nata, vivet, spirabit, movebit, aget, rapietq; auditores qua voler. Atque hæc omnia, quamvis intimis animi præcordiis adamantino stylo insculpi necesse fuerit, quoniam tamen labilis res est memoria, & fluxa; quæ onerata satisci, referta confunditur, ex usu erit illam sublevare; & ea, quæ nobis legentibus, audientibus, aut meditantibus placuerunt, dignaque adnotatu visa sunt, Librorum fidei concredere, uti supra monuimus, pag. 45. &c. Indicis Rhetorici.

Adventitiis tamen his subsidiis ita uti, ne sensus ipsos, ne formulas eodem habitu, quo admissæ sunt, quasi per vomitum, quod infirmi stomachi judicium est, regeramus: verum, tum adjiciendo, tum detrahendo, qua varie concinnando, qua artificiose invertendo, ita immutare, ut ex ingenii nostri fonte, fornace, officina, non ex memoriæ lacu, ærario, taberna, videantur deprompta: Mentis agitatione, Commentationis igne ea omnia, quantumvis varia, & dissimilia ita conflare miscere, assimilare, ut & ipsis Artificibus factum hunc nostræ mentis ingenium potius approbemus, quam accersitas bracteas, aut emendicata analecta prodamus. Formulas itaq; subjeci ipsis autorum unde sumptæ sunt verbis dimensas, ut aliud relinquerem Oratoriæ candidato, in quo exercenter se styli acies, laboraret ingenii acumen; tandem si placeat exemplum istud apud A. Gel (a) nec non Ælianum (b) invenio; *Quod Theophrastus verba in Areopago facturus deturbatus verecundia obticuerit, quodque idem hoc Demostheni apud Philippum Regem verba facienti evenerit.* Quod hunc in modum dilatari poterit. *Quod Theophrasto oratori parum vehementi cujus tamen ex ore melle dulcior effluebat oratio; quod Demostheni torrentis in modum fluminis, aut turbi potius fulminis auditorum animos percellenti, contigisse*

(a) *A. Gel. arg. c. 8. l. G.*

(b) *Ælian. Var. hist. l. 8. c. 12.*

contigisse fertur; ut hîc Philippi regis majestate exanimatus, ille verecundia (ut creditur) deturbatus, in ipso orationis limine repente obticuerit: idego ne mihi novo Rhetori atque in hac dicendi arena minime versato accideret prorsus extimescerem, nisi me animaret rei ipsius, de qua dicturus sum dignitas; nisi me confirmaret gratiosorum juvenum, qua cinctus sum, corona notissima benignitas. Jubet me res, ut inter vitiosa pudoris Scyllam, & impudentiæ Charybdin, ingenuam & prætextatæ hujus ætatis florem verecundiam per medium freium, qua virtutis via est, plenis pro viribus mearum & artis modulo gloriæ velis feram. Vos itaque orandi sitis (syrocinii hujus literarii commilitones mei) cum in ipsius argumenti vestra hac ætate dignissimi gratiam, tum pro candore quem in fetioribus vestris inclusum, hac assertis, ut fragili hujus Orationis meæ navicula, sine scientiæ saburra, sine judicii clavo, sine artis velis timide fluitanti, levis faventia vestra aura aspirans, eam decurso feliciter spatio in optatum portum deducat. Quas vero formulas ex lectione in adversaria & commentarios referre placet, id, si ita videtur, facere ex mente & methodo subsequentis tabellæ licebit.

Supra Naturæ fundamina Artisque structuram, inter Exercitationis subsidia, ad eloquentiæ fastigium erigendum, validissimi adminiculi vim & viam occupat imitatio. Ad cujus perfectionem, studiose & cum fructu legenti, audienti, commentanti observanda veniunt.

---

1. Formulæ

1 Formulæ ad
- Contextum
  - Ordiendi.
  - Petendi attentionem & benevolentiam.
  - Narrandi.
  - Proponendi & Partiendi.
  - Continuandi.
  - Transeundi.
  - Abrumpendi.
  - Confirmandi.
  - Exempla citandi.
  - Testimonia citandi.
  - Objiciendi & Confutandi.
  - Claudendi.
- Materiam
  - Rogandi & Petendi.
  - Gratias Agendi & Debendi.
  - Opem offerendi & Pollicendi.
  - Laudandi.
  - Vituperandi.
  - Corrigendi.
  - Hortandi, Suadendi, & Consulendi.
  - Exclamandi, Querendi, & Detestandi.
  - Monendi.
  - Excusandi.
  - Deliberandi.
  - Illudendi.
  - Minandi.
  - Meruendi & Obstupescendi.
  - Male & bene precandi.
  - Consolandi.
  - Moderandi & Dijudicandi.

2 Ornamenta & Firmamenta.
- Similitudines.
- Allegoriæ.
- Imagines.
- Acutiora dicta.
- Sententiæ.
- Exempla.

3 Dictiones
- Verba rara, nova aut novo sensu usurpata.
- Phrases insigniores & nitidiores.

Ordiendi formulæ.

Lib. 2. de Or.

RElus omnibus probe consideratis, tum denique, inquit M. Antonius apud Ciceronem, *id quod primum est dicendum postremo loco cogitare, quo utar exordio.*

exordio. Nam ſi quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatiorum, aut vulgare atque commune. Principia autem dicendi ſemper cum accurata, & acuta, & inſtructa ſententiis, atque verbis; tum vero cauſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio & commendatio orationis in principio: quæ continuo eum qui audit permulcere atque allicere debet, &c. mox. *Appareat, eos non eſſe communes nec in alias cauſas poſſe transferri; ſed penitus ex ea cauſa, quæ tum agatur, efflorueſſe. Omne autem principium, aut rei totius, quæ agitur, ſignificationem habere debebit; aut aditum ad cauſam, & communitionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem. Sed oportet ut aditus ac templis veſtibula & aditus; ſic cauſis principia pro rebus & rerum portione præponere.* Diſputat Quintilianus, contra quam cenſuit Ciceronis Antonius, præcipiens. *Nec ideo tamen eos probaverim, inquit, qui ſcribendum quoque proœmium noviſſime putant. Nam ut conferri materiam omnem oportet, & quid quoque loco ſit opus, conſtare debet, antequam dicere aut ſcribere ordiamur; ita inciendum ab iis quæ prima ſunt, &c.* Sed poſt veteres dicendi magiſtros in utraque lingua, & præter ea quæ nos ſupra diximus, p. 17. &c. de virtutibus, vitiis & legibus Exordii, videatur Cauſſinus, l. 6. Eloq. c. 7. Valladerus l. 8. Voſſius l. 3. inſtit. Orat. c. 8. &, ſi tædium ferre poſſis, Exordiorum formulæ variis ex locis deſumptæ à Melchiore de Cirda in Campis Eloquentiæ. Nec non aliæ per omnia genera & partes orationis à Vernulæo allatæ, ut & ab Eraſmo; li. de copia, & conſcribendis epiſtolis. Neque tamen iſtæ quæ ſequuntur rejiciendæ protinus ſunt, ut quæ, ex præceptis & exemplo in Præfatione modo præmiſſis, in hanc vel illam ſententiam facile transferri poſſint. L. 3. orato. inſtit. c. 12.

Roſcius, hiſtrio nobiliſſimus, qui propter artis ſuæ præſtantiam & venuſtatem aſſecutus erat, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur; quo ſpectante, geſtum agere in ſcena videbatur eſſe hominis impudentis: ille, inquam, diſcipulus Hortenſii, magiſter Ciceronis; ille propter probitatem indignus, propter artem ſolus ſcena adeoque immortalitate dignus judicatus; ille urcunque exercitatiſſimus, nunquam tamen niſi geſtus & actionem accurate meditatus, ſe dabit in publicum——

Si Porcius Latro, Declamatoriæ virtutis unicum exemplum, cum pro reo in Hiſpania Ruſtico Porcio Cic. 1. de Or. & Val. Max. l. 8. c. 7. Sen. præf. ad l. 4. controv. Quint. l. 10. c. 5. Nigron. 1. Orat.

Porcio propinquo suo diceret, usq; eo fuerit confusus, ut à solœcismo inciperet; nec antea potuerit confirmari, tectum ac parietes desiderans, quam impetravit ut judicium ex foro in basilicam transferretur: quàm toto me animo consternari putatis? qui, &c.

Crassus apud. Cic. 1. de Or.

Equidem in me ipso experior sæpissime, ut exalbescam in principiis dicendi, & tota mente atque omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic in initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo concilium dimiserit, simul ac me fractum ac debilitatum metu viderit.

Cicero manumisit Erotem servum; quod judicium quoddam gravissimum in diem posterum fuisse dilatum nunciasset.

Plut. apoph.

Atheniensis cum cogeretur de gloria disserere coram Philone (cujus jam aures cognoverat & Demosthenicæ Eloquentiæ inustas calamistris, & Atticæ dictionis puritate delicate politas) illum somniavit absentem, ne tanti viri cogitatio medium sibi dictionis filum intercideret. Sic ego hodie divina Endymionis virgula, &c.

Cic. 1. de Natura Deor.

Cum à Simonide quæsivisset Hiero tyrannus, quid, aut qualis esset Deus, Deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret cur ita faceret? Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.

Cic. de oratore 2. l.

Cum Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exul, proque eo, quod ejus nomen erat apud omnes in gloria, invitatus est ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret: cumq; is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cæteri qui illum audierunt, vehementer esse delectati, quærebant ab Annibale quidnam ille ipse de illo philosopho judicaret: hic Pœnus, non optime Græce, sed tamen libere, respondisse fertur, Multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit quam Annibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam

partem

partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare?

Sophistæ, Herculis laudes recitaturo, Quis vero, inquit Antalcidas, eum vituperat? Plutarch. Apoph.

Si aut collegam (id quod mallem) Æmili, tui similem haberes, aut tu collegæ tuo similis esses, supervacanea esset oratio mea: nam & duo boni Cens. etiam me tacente omnia è rep. fide vestra facerētis: & mali nec mea verba auribus vestris, nec concilia animo reciperetis. Liv. 3. d. 2. l. Fabius.

Tacuissem hodie (P. C.) nequid, in omnium gaudio, minus lætum quod esset, vobis loquerer: Nunc interroganti senatori, si reticeam, aut superbus aut obnoxius esse videar: quorum alterum est hominis alienæ libertatis obliti, alterum suæ. Liv. 3. d. 2. l. Hanno.

Qui me voluistis dicere extempore, accipite rudimentum post experimentum. Quippe prout mea opinio est, bono periculo periculum faciam, posti quam reprobata, meditata sum dicturus incogitata, &c. Ap. de Deo Socratis.

In rebus subitariis vena prolixior. Scripta enim pensiculatis & examinatis; repentina autem noscitis simul & ignoscitis. Ibid.

Pericles, quotiescunque verba facturus in concionem prodiret, optabat ut sibi nullum ejusmodi verbum excideret quod populum exasperare atque irritare posset; aut quod illi contrarium esset & cum ipsius voluntate pugnare videretur. Ælian hist. l. 5. c. 10.

Si quantum in agro locisque desertis audaeia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret; non minus nunc causa cederet A. Cæcina Sex. Æburii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ. Verum &c, &c. Cic. pro. Cæcin.

Nunquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi: non quod verba unquam potius quam res exercuerim, sed quia prope à puericia in castris habitus assueveram militaribus ingeniis: apud vos quemadmodum loquar nec consilium nec oratio suppeditat: quos nec quo nomine quidem appellare debeam, scio; cives? qui à patria vestra descivistis; an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis; hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, &c. Liv. 3. d. 1. 8. Scipio.

Quam consuetudinem illi ex schola politi oratores tanquam legem servaverunt, ut in magnis causis sibi à Diis precarentur concedi orationem, vel. Cic. conspertam Tusc. Or. 12.

spersam floribus, ad aures audientium suavitate deliniendas; vel Demosthenis vinctam nervis, ad animos eorum pondere perstringendos: eandem ego coram vobis hoc ipso ex loco hodie persecutus fuissem, si id quod ago, putassem potius orationis esse ex infimo artificio promptæ, quam mentis cujusdam divinitus afflatu concitatæ. Verum cum eos mihi motus sive inusserit ratio, tanquam ex terra homini; sive insculpserit Deus, tanquam ex cœlis Christiano ut putem hanc rem quam conor, non tam orationis esse quam rationis; imo vero non tam rationis quam spiritus cujusdam, &c. tantum abest ut illa optem, &c. ut potius, &c.

Oratio rebus dubiis inventa est; itaq; nec ego accusando eum apud vos tempus teram, à cujus crudelitate vosmet ipsi armis vindicastis, nec istum ad cætera scelera impudentiam in defendendo se adjicere patiar.

Val. Max. præf. ad Tiberium. Nam si prisci oratores ab Jove Opt. Max. bene orsi sunt; si excellentissimi vates à numine aliquo principia traxerunt; mea parvitas eo justius ad tuum favorem accurrerit, quod cætera divinitas opinione colligitur; tua, præsenti fide, paterno, avitoque sideri par videtur.

Quintil. 10. l. c. 1. Ut Aratus à Jove incipiendum putat (ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα) ita nos rite cœpturi ab Homero videmur.

Tacit. hist. 1. Vocul. Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis solicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio, mortemque in tot malis hostium ut finem miseriarum expecto. Vestri me pudet miseretque, adversus quos, &c.

Turn. 3. or. Ast, (Auditores) est in magnorum virorum non solum judiciis, sed etiam oculis vis quædam divina latenter implicita, quam cum antiquis oratoribus timerem, totisq; artubus exhorrerem, si, ut illi, ex his subselliis quærerem meæ aut ignorantiæ tegendæ velum, aut ambitioni fovendæ segetem. Verum, cum hoc quicquid in isto circulo sudo, sive algeo referatur eo, non ut orner, sed ut ornem; non ut mihi libem eloquentiæ laudem, sed ut virtutis laudem derivem in alium: tantum abest ut Brutos & Camillos timeam, ut potius in sinu gestiam Brutos mihi & Camillos hodie obtigisse auditores.

Solon. apud. Diog. Laert. Viri Athenienses, aliis quidem sapientior, aliis fortior sum. Sapientior, iis qui Pisistrati conatus non animadver-

animadverterunt; fortior, iis qui sciunt quidem, sed metu silent.

Musonius Rufus equestris ordinis miscuerat se legatis Vitellii ad Flavianos de pace missis, studia Philosophiæ & Stoicorum placita æmulatus. Cœptabatq; permixtus manipulis, bona pacis, & belli discrimina differens, armatos monere. Id plerisque ludibrio erat, plerisque tædio. Nec deerant qui proculcarent hominem propellerentque, ni admonitu modestissimi cujusque & alis minitantibus omissiset intempestivam sapientiam. Tacit. hist.

Petendi attentionem formulæ.

QUod si res trita sit, tritæ rei novam præmitto nec pervulgatam orationem; ut, per humanitatem, quam inclusam in pectoribus domo huc attulistis semper, rogandi mihi sitis vehementer, ne potius contemnatis illam quia trita fuit, quam hanc attendatis, quia nova erit. Turn. Or.

Si quis mihi Deus vestram ad me audiendum benevolentiam conciliarit, efficiam profecto ut intelligatis nihil esse homini tam timendum quam invidiam, nihil innocenti suscepta invidia tam optandum quam æquum judicium——— Cic. pro A. Cluentio.

Quæso à vobis ut in hac causa mihi detis hanc veniam accommodatam huic reo; vobis, quemadmodum spero, non molestam; ut me pro summo poeta atq; eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, &c. Pro Archia poeta.

Verum, ne quis forte arbitretur me pervulgato Rhetorum more, debere rogare, ut patientiam huc, & attentionem afferatis, is velim intelligat, me nolle rogare: quin potius Circea potione ita hodie ex Oratore factum Philosophum, ut tam possim esse generose contemptor, si difficiles contemnaris fructuosa docentem, quam velim esse gratus, si patientes audiatis breviter dicentem. Quorum utrumque contendam, ut commode possitis, si attendatis: ut vero attendatis, rogat vos beata——— 3. Or. Turn.

Quapropter vos oro atque obsecro, Jud. ut attente benaq; cum venia verba mea audiatis, fide sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevatis, feram ut potero, studio & industria, Jud. Cic. pro Rosc. Amer.

sin

sin à vobis (id quod non (pero) deferar, tamen animo non deficiam, & id quod suscepi, quoad potero, perferam.

Turn. 9. or. Ineptus sane ipse fiem (Aud.) si pervulgatas Rhetorum præceptiones ad excitandam attentionem consectarer; cum videatur jam. T. ipse & quod Martyr fuit, expressisse vobis audiendi cupiditatem; & quod noster fuit, impressisse imitandi studium.

31. 10. Attendite ergo, vestræque benevolentiæ quadam quasi aura favete audenti.

Date paulisper aures animumque in ditionem meam, à me certe stabitis & sentietis.

Quod ut plenius cognoscatis, quæso vos ut dum breviter vitæ meæ rationem adumbratam explico, dicentem me, id quod vultus vestri tacite pollicentur, benigne attenteque audiatis.

8. Agrar. Quare à vobis, qui nihil de me credidistis, ut eam voluntatem, quam semper habuistis, erga me retineatis, peto: à vobis autem, &c.

Plutarch: de Auditione. Quin & Mercurium veteres in dedicandis fanis, adjunxerunt Gratiis, significaturi, orationem maxime flagitare benignas & amicas aures.

Suidas. Aristoph. interpres Nigr. 1. or. Itane, inquit, de Asini umbra audire vultis? de rebus gravibus & seriis non vultis?

Qua de re quia multa dici possunt digna vestris auribus atq; hac nobilissima, qua cingor, corona----

Reficite, quæso, vos, Auditores, ad ea quæ sequuntur, graviora, subtiliora, admirabiliora; flagitant attentionem ea non minorem quam præstitistis. Ex qua etiam factus certior benevolentiæ vestræ, adeo ut de vobis omnia sperem, mihi omnia de vestra humanitate pollicear.

Idem. 2. or. Cujus dignitas ac venustas quia sine adventitiis illecebris rapere ad se & detinere auditores valet; negligam hodierno die, quas in principiis dicendi quidam solicito animo atq; anxio quærunt, insinuationes aucupandæ benevolentiæ auditorum; quam apud vos de integro captari minime necessarium mihi esse intelligo, tum ex attentione quam superius præstitistis, tum ex hodierna frequentia.

Ibid. 2. or. Alacritas vestra & Ardor, me nonnihil hærentem facilè adduxerunt, ut citius quam statueram, sublatis anchoris rursus in altum è statione, benevolentiæ magis vestræ Favonio datis velis, quam mearum virium remigio fretus, orationem impellerem.

Quare vos illud unum oro atq; obtestor, per vestram præclaram indolem ingenii, morum, virtutis; perque

perque illam cupiditatem gloriæ, qua vos liberalis ambitio titillat, ut oculos mentis in eloquentiam intendatis acerrimè, dum ejus vim ac potestatem, in qua succum, sanguinem, nervos, robur, gratiam ejus ac pulchritudinem arbitror collocatum, in orationis mea quasi tabula vel speculo, &c.

Quam dum explico atque expedio, vos oro atque obtestor, ut oratoris, si minus boni, at omnium vestrum amantis, verba benevolis auribus ac mentibus excipiatis: qui hac spe humanitatis vestræ fretus, plus aliquanto complexus est animo, sine temeritatis suspicione, quam ætas & ingenium postulare aut ferre videatur. 5. Orat.

Sed quod vobis sum pollicitus, quod vos avidissime exoptatis, ut tam insignis exemplaris virtutes non decantatis & tritis, sed novis, reconditis, inauditis, laudibus celebrem, oculis vultuq; repoſcitis. Habenis igitur ingenii mei qualiscunque laxatis ac remissis; cupiditatis vestræ calcaribus admotis, per patentissimum hunc campum oratio mea effuso cursu spatietur. Ibid. 15. Or.

Narrandi Formulæ.

Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur. Cic. pro Leg. Manil.

De quo neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo, &c. Cic. pro Rosc. Am.

Atque ut facilius intelligere possitis, judices, ea quæ facta sunt, indigniora esse, quam hæc sunt, quæ diximus; ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponam, &c. Ibid.

Quid primum querar, aut unde potissimum exordiar, exponam, &c.

Reliquum est Judices, ut nihil aliud jam quærere debeatis, nisi ut uter utri insidias fecerit: quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quæso diligenter attendite. Cic. pro Mil.

Id quo facilius facere possitis, dabo operam ut à principio res quemadmodum gesta ac contracta sit, cognoscatis——— Cic. pro Quintio.

Hujus difficultatis fontem ut aperire, & ipsi adyta penetrare possimus, paulo altius res repetenda est. Morin. exer.

Primum ego officium scriptoris existimo, titulum suum legat, atque identidem interroget se, quod cœperit

perit scribere, sciatque si materiæ immoratur, non esse longum; longissimum, si aliquid accersit atque attrahit.

Proponendi & Partiendi.

Nigr. UT videam potius quæ dicam, quam quomodo dicam. Quare cum hujus difficultatis expediendæ una videatur & simplex via, ut pauca dicam; orationi meæ eam hodie statuam legem, ut unius tantum aut alterius coercita cancellis, &c.

Cic. pro lege Manilia. Primum mihi videtur de genere belli; deinde de magnitudine; tum de imperatore deligendo, dicendum.

Pro Sextio. Sed quoniam singulis criminibus cæteri respondérunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandæ salutis communis, atq; otii; contendamq; si modo id consequi potero, ut in hac confusa atque universa defensione nihil à me quod ad vestram quæstionem, nihil quod ad reum, nihil quod ad Rempub. pertineat, prætermissum esse videatur.

Philippic. 7. Cur igitur pacem nolo? quia turpis est; quia periculosa; quia esse non potest: quæ tria dum expono, peto a vobis P. C. ut eadem benignitate qua soletis, verba mea audiatis.

Cic. pro Quintio. Et me facile vestra existimatione revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circundedi.

Continuandi Formulæ.

IN singulis rebus materies est ejusmodi, ut dies singulos possis consumere.

Cic. pro. Ro. Amer. Hæc si haberet in causa, tempus hercule citius quam oratio deficeret.

De quo si paulo altius ordiri ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite: rei magnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis non sinit.

Turn. 11. Profecto (Auditores) quod homini per loca dumetis ac spinetis undique horrescentia facienti iter accidit, ut dum sinuosiori se dumo explicat, asperiori spina implicetur: id mihi hodie in I. ornando, usu venit:

venit: in cujus singulis laudibus ita miracula nectuntur ex miraculis, ut, dum hinc miraculum fugio minus, inde in miraculum impingam majus.

Quod utinam mihi pro amplitudine auditorii prolixa suppeteret oratio, ac non hic maxime claudicaret, ubi me facundissimum cuperem.

Sed quid faciam? novam quandam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam, faciam?

Quid in verba & rationes stylum torqueo? ipsam rem audi.——— Put. diatr. 2.

Sed quid? jamne seorsim sentientium copiæ in ditionem meam veniunt? an sumpta Ægide in pugnam eo, acrius præliaturus: &c. Ibid.

Quas ego omnes ausus contexere, prope mihi infinitum laborem prospicio, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor; sed durandum est, quia cœpimus; & si viribus deficiamus, animo tamen perseverandum.

Sed par est, quæ paucis breviter ac strictim dicta sunt, pluribus copiosius ac planius explicare, ne in tanta rerum ubertate ac profluentia, disputantes de flumine eloquentiæ, ficci atque aridi videamur. Nigron. 4. or.

Quorum de crudelissima morte, &c. dicam, cum eum locum tractare cœpero, & ita dicam, ut si me in ea querimonia quam sum habiturus de istius crudelitate & de civium R. indignissima morte non modo vires, verum etiam vita deficeret, id mihi præclarum & jucundum putem. Cic. 6. Verr.

Lineam hanc sequar, & necessaria magis quam curiosa subtilitate, pauca etiam quæ antiquitus tradita comperi, aut quæ inventione nova concepi, non per guttas ductim stillabo, sed impetu quodam effundam. Put. diatr. 2.

Quemadmodum ii, quos casus aliquis in gurgitem detulit, arbitrium amittunt sui, & aguntur violento raptu: ita ego vix pedem in divinis illis æternisque corporibus posui & velocissimo illo motu transferor, nec intra sermonis mei fines queo consistere. Num invitus? Si cum dispendio id fiat vestro, lubens desisto, si cum voluptate aliqua aut fructu, pergo. Nec tamen longius me adduci patiar, sed vim mihi ipse inferens, hic vela complicabo. Ibid.

Quid nunc agam, cum jam tot horas de uno genere, ac de istius nefaria crudelitate dicam? cum prope omnem vim verborum, ejusmodi quæ scelere istius sunt digna, aliis in rebus contempserim; neque hoc providerim ut varietate criminum vos attentus tene- Cic. 6. Ver.

rem quem ad modum de tantâ re dicam? opinor unus modus atque ratio est. Rem in medio ponam, quæ tantum habet ipsa gravitatis, ut neq; mea, quæ nulla est, neque cujusquam ad inflammandos vestros animos eloquentia requiratur.

Plin. paneg. ad Trajanum. Sed quid singula consector & colligo? quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos, P. C. ne qua interciperet oblivio, & in publica acta mittenda, & in ære incidenda censuistis.

Put. 5. diatr. An respiro & quiesco? imo vero lorum capio, & instructam hanc incendo trigam, ut pauxillulum hoc, quod supereſt, pulveris emensus curriculo ad metam pervehar.

Verum cum versor in illo stadio, quod peranguſtis inclusum regionibus non finit orationem, veluti equum, excurrere libere & ad metam præfinito redire, contineor, quasi contractis habenis intra circum, ut in his & studii & temporis anguſtiis plurimum videar dixisse, si id quod dicit C. addam, &c.

Quod siqua caligo meis verbis offusa impediat, quò minùs clarè intelligar, illa oppositu quasi quodam solis facile dejicietur, si mecum cogitaveritis.

Put. 2. diatr. Hoc etiam addo, & velut auctarium huic capiti constituo.

Transfundi Formulæ.

Cic. pro Cœlio. NOn me hæc movent, quæ perspicuè falsa sunt, &c. Sed hæc omittam: ad illa quæ me magis moverunt, respondebo.

Cic. 3. de or. Verum, si placet, quoniam hæc satis, spero vobis quidem, certe majoribus molesta & putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

Ibid. Nunc ad reliqua progrediar, neque ad meum munus pensumque revocabo.

Pro Rosc. Amer. Etenim quoniam fidem magistri cognôstis; cognoscite nunc discipuli æquitatem.

Pro Cœlio. Sed quoniam emersisse jam è vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.

Turn. 15. Sed texo ut nimis brevem pro rebus, sic pro tempore nimis longam orationem.

Quare ut res sequantur tempus, in alteram veri bonique Episcopi notam, orationis meæ rivulus est derivandus———

Sed in hanc sententiam cum multa habeam dicere,

non abutar hac patientia veſtra, qua me attentiſſimis animis, ſumma benevolentia attendiſtis: veniam itaque ad———

Accipe nunc aliud ejus facinus nobile, & multis locis ſæpe commemoratum, & ejuſmodi, ut in uno omnia maleficia ineſſe videantur; invenietis id facinus natum à cupiditate, auctum per ſtuprum, crudelitate perfectum & concluſum. 3. Verrin.

Plura de illo Archipirata dixi quam volui, & tamen ea quæ certiſſima ſunt hujus criminis argumenta prætermiſi. Cic. Verrin.

Nihil addi jam videatur [Judices] ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque poſſe; & recte videtur: nam ſi cum aliorum improbitate certat, longe omnes multumque ſuperabit: ſed ſi ſecum ipſe certat; id agit ut ſemper ſuperius ſuum facinus novo celere vincat.

Nimium diu nos in proclictu: quin coronas ſumimus, & Muſæum hoc auſpicamur certamen? Put. Diatr.

Vos P. & T. memoria ac religione complector, qui animadverto fore, ut pondere laudis quam meruiſtis, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei detegam, quam veſtram virtutem, ſicut par eſt, repræſentem. Nigr. 50. or.

Nolo commovere dolorem vulnera retractando, & quæ viſu triſtia, ſenſu moleſta, perpeſſu difficilia fuerunt, ea duriora & acerbiora facere commemorando.

Hactenus de principe, quæ ſequuntur de monſtro dicenda. Suetonius Calig.

Nam ut reliqua, quæ multa ſunt, quæ magna ſunt, &c.

Bene egiſſent Athenienſes cum Miltiade, ſi eum poſt 300 millia Perſarum Marathone devicta in exilium miſiſſent, ac non, &c. Valer. Max. lib. 5. 3. c.

Sed ut omiſſo principio, rem ipſam aggrediar, &c. Sen. 9. ep. 5.

Hactenus in te prædicata ſunt dona fatorum: nunc ad ea proferamus gradum quæ tibi debes. Pacat. pan. ad Theod.

Sed quod facere, magnas urbes ingreſſi, ſolemus, ut primum ſacras ſedes, & dicata ſummo numini delubra viſamus, tum fora atque gymnaſia, & pro ſuis extenta porticibus ambulacra & clauſtra miremur: ita in laudibus tuis ſanctos palatii ritus, & priſcis æquanda ceremoniis inſtituta venerati, gradum ad illa proferimus quæ in medio conſtituta ad publicos uſus facientia, non partim, ſed in commune conducunt, nec parietibus, ſed orbe claudantur, nec tecto, ſed cœlo operiuntur. Plin.

Sed jam tempus eſt in Latium de Græcia demigrare. Apul. de D. Socrat.

Ibid. Missum igitur hunc locum faciam, in quo non mihi quidem tantum, sed ne Platoni quidem meo quiverunt ulla verba pro rei amplitudine suppetere. Quid igitur faciam in rebus mediocritatem meam superantibus? receptui canam, tandemque orationem de cœlo in terram devocabo.

Apul. Apol. Ne is qui sedulo laboro, ut nequid maculæ, aut inhonestamenti in me admittam, videar cuipiam, si quid ex frivolis præteriero, id agnovisse potius quam contempsisse.

Sed jam tandem in gradum redeamus, extra lineas oleasque aliquantulum expatiati.

Sed quid opus pluribus? Sit jam hujus loci finis.

Expositi breviter: ac de his jam satis.

Audivistis hactenus magna, sed audietis majora.

Sed hæc, de re; nunc de te reliquum est ut dicamus.

Verum de his plus satis.

Sed mittamus hæc.

De his jam satis disputatum, vel dictum.

Quid his immoror?

Sequitur ut paucis agamus.

Restat pars altera.

Ad alteram jam partem accedamus.

Sed de his diximus multa, & alibi dicemus.

Hactenus mihi tractasse videor.

Abrumpendi Formulæ.

SEd vereor ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram, Me vero temporis angustiis exclusum perspicio, Quorum non est nunc narrandi locus.

Nimium multa de re minime dubia loquor; hoc tamen dico, non modo si, &c. sed nisi, &c.

Dies me jam deficiet, si quæ dici in eam sententiam possunt, coner exprimere.

Ac ne plura, quæ sunt pæne innumerabilia, consecter, comprehendam brevi; sic enim statuo.

Immensa oratio est: nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim, quam miserum indignumque sit, &c.

Neque ego nunc istius facta omnia numerare conor, neque opus est, nec fieri ullo modo potest.

Cic. 5. Ver. Non obtundam diutius aures vestras, Jamdudum vereor ne oratio mea aliena à judiciorum ratione & quotidiana

quotidiana dicendi consuetudine esse videatur; hoc dico, &c. si vero———

Invitus in hac parte orationis, Quirites, moror. Sic enim agere debent, qui, &c.

Itaque succumbam oneri, neque aggrediar narrare quæ differendo minora vero facio.

Videtis quam multas laudes in quam brevem complicationem conjecerim.

In singulis enim si hæreret oratio mea, ita multa sunt & magna, ut me vox potius quam verbum, latus quam res dicentem deficeret.

Sed intelligo, Auditores, me in hoc crimine pro re pauca, pro vestra prudentia satis, pro tempore nimis etiam multa dixisse.

De qua quia brevius mihi dicendum est, quam tanta res dici possit; peto à vobis, ne rerum pulcherrimarum magnitudinem ex mea oratione potius quam ex rerum pondere æstimeris.

Argumentum suadet, Auditorium urget; obsequar, & quam quisque in omni materia poscit, dabo brevitatem. Putean. Laconism.

Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea quæ me P. Q. cupit commemorare: tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, præteribo. Cic. pro Quintio.

Verum ista lubens tacitus prætereo, neque intra tuta silentii præmia tenebo: accepi enim non minus interdum oratorium esse, tacere quam dicere. Plin. 7. el. 6. ep.

In stupris vero & flagitiis nefarias ejus libidines commemorare, pudore deterreor. Divinatio in Verrem. Val. Max. l. 8. cap. 11.

Sed ista malui silentio obducere quam eloquio qualicunque proferre; Timanthem imitatus, qui lucluosum immolatæ Iphigeniæ sacrificium in tabula repræsentaturus, cum Calchanta tristem, mæstum Ulyssem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum circa aram statuisset; caput Agamemnonis velo involvit, summi mœroris acerbitatem arte exprimi non posse confessus.

Omnia præteribo quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque solum quid istum audire, verum etiam quid me deceat dicere, considerabo. Verrin.

Hic nolite expectare dum ego hoc crimen agam ostiatim. 5. Ver.

Ex his viris quorum exempla persequi nec omnes volumus, nec omnes debemus. Turn. 10.

Melius vobis, levius mihi, satis rei, virum purum aut sacerdotem levi quasi brachio transilire. 15. Or.

Non sequor hoc filum, iter illud varium & non Ibid.

istius temporis, quod circumscripsi orationi meæ.

Ibid. Rem late patentem ut substringam, suadet tempus, ratio, patientia vestra.

Lips. 2. ep. 2. cent. Sed diffundor, peccatum meum solenne cum ad te scribo: nunc emendo, & sileo, & te valere jubeo.

Put. Diatr. Amplius fusiusq; qui laudare velit, violet, qui defendere, traducat. Verborum lacinias & syrmata abesse ab hac veste fas fit, undas ab hoc rivo. De re tali optimus sanè sermo qui brevissimus.

Lips. ep. 2. c. Sed amor ponit me extra circum, quem hujus materiæ curro; verè curro, nam res quæ, &c. non sinunt calamum in singulis hærere.

Sen. 30, ep. Sed vereri debeo, ne tam longas epistolas pejus quam mortem oderis: itaque finem faciam.

Put. 1. Dia. Ne incautus sermonem hunc lente ducentem & abducentem sequar; subsisto & conquiesco.

Sen. 54. ep. Sed ne Epistolæ modum excedam, quæ non debet sinistram manum legentis implere, in aliam diem hanc litem cum dialecticis differam.

Nunc quia diligentiæ meæ augustia temporis obstat; cogimurque more Atheniensium ad Clepsydram dicere, moderabor ego.

Ne vaga aut libera nimis sit oratio mea, sed adductis habenis moveam in hoc gyro; quæ posita sunt in suspicionibus, de quibus, si cœpero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingeniis conjecturæque committo.

Sed ne longior faciat sermo fastidium; unum ex omnibus ejus officium, persequemur.

Macrob. 1. Sat. 24. c. Ita sibi certos sententiæ fines, & velut quædam pomœria effata posuerunt, ultra quæ egredi nefas, &c.

Put. Diatr. Verum ne mihi tandem vox? vobis aures pari lassitudine fatiscant.

Pl. 1. ep. 3. 1. Igitur, eundem mihi cursum, eundem terminum statuo, idq; jam nunc apud te subsigno, ut, si me longius avehi videris, in jus voces ad hanc epistolam meam, & quiescere jubeas, cum inertiæ crimen effugero.

Put. Diatr. Nunc igitur manum de tabula: quia, Pindari calculo, Justam ad causam tria verba sufficient.

2. l. Pl. epist. Magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat; conjunctio vero nostrorum animorum brevitate contenta est.

Apul. de. Deo Socrat. Proinde in vestra manu situm est nostra vela sinuare, & mittere; ne pendula, neve flaccida, neve restricta, neve caperata sint.

Florus in prologo. Tamen quia ipsa obstat magnitudo, rerumque diversitas faciem intentionis abrumpit; faciam quod solent

ſolent qui terrarum ſitus pingunt; in brevi quaſi tabella totam ejus imaginem amplectar.

Sed parco nominibus viventium, veniet eorum laudi ſuum tempus; ad poſteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.

Ne longum loquar, aut obvia referam, &c.

His, atrocioribuſque [credo] aliis quæ præſens rerum indignitas haudquaquam relatu ſcriptoribus facilia ſubjicit, memoratis.

Confirmandi.

QUod ne affirmem potius quam probem, &c. *Macrob. 5. Sat. 1. cap. Suar. Annal. Plant. Menechm.*

Sed ne videar uno aut levi tibicine hoc munimentum fulcire velle, argumenta inſuper habimus, rationes, teſtes non ſemodio aut modio, ſed toto horreo.

Quam ego rem argumentis, non multis ſed probis validiſque probatum eo.

Verbis tam diſertis, rationibus tam claris confirmata, ut non atramento, ſed Solis radio exarata videantur.

Ne tamen macerlam congeſſiſſe dicar, aut etiam arenam ſine calce; primum ponam Naturæ fundamina, deinde, Rationis Statuam, columnas, tabulata inſuper extendam Legem, contignationes denique inſternam Teſtium fide digniſſimorum.

Non pectines Solis ſuſpendo; neque enim Lamiæ turres extruo: ſed arcem munitiſſimam fortiſſimis inſtruo propugnatoribus.

Neque enim Velites emittam Opinionum, ſed in aciem & juſtum prælium educam validiſſimarum Rationum Haſtatos, rerum certiſſimarum Principes, locupletiſſimæ fidei Triarios.

Non fumum vendo, nec fucum facio: verum ij ſam rem Naturæ voce promulgatam, jure gentium ſancitam, uſu denique & conſuetudine firmatam adfero.

Citandi exempla.

PLurima ſunt & obvia exempla.

Exempla ſi quærantur illuſtria virorum——— *Tractantur autem*

Exemplorum pleni libri, plenæ memoriæ——— *plerumque ex ſimili, diſſimili, contrario, majori, minori, pare; nec non per optationem, interrogationem, Apoſtrophen, ſuppoſitionis formam, comparationem, &c.*

Exemplorum nullum illustrius, quam illud Thaletis.

Inter multa præclara facinora alia, nihil clarius quam quod——

Atque ne hæc obscura & nuda videantur sine exemplorum appositione, videte quæso——

Quoniam vero jure id fieri videtur, quod exemplo fit——

Quam quidem rem probe intellexisse & rectâ reputasse via mihi videntur, qui——

Pristinam veritatis faciem Historia prisca retegit: huc provoco.

Lubetne à familiari exemplo diffusum præcepti usum discere?

Strictum & rotundo agmine.

Apul. apol. Eadem enim est paupertas apud Græcos in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Eadem Paupertas etiam populo Romano imperium à primordio

Apud. apol. fundavit: proq; eo in hodiernum Diis immortalibus simpuvio & catino fictile sacrificat. Quod si modo judices de causa ista sederent C.Fabricius, Cn.Scipio, Manlius Curius, quorum si Poplicola regum exactor, & Agrippa populi reconciliator, quorum——

Quid? dolemus viros nobiles, in itinere tardatos? Echeneis hæc remorata est. Dolemus duces in acie desertos? surdus ille coluber prodidit: dolemus summos imperatores è medio sublatos? vipera vi & dolo sustulit.

Put. diatr. Non ego obsoletam & intermortuam jam olim consuetudinem è ruderibus atque tumulo ad lucem & vitam revoco: sed viventem etiam nunc & vigentem exemplo meliorum cito.

Non referam tibi Socratem, Chrysippum, Zenonem & cæteros, magnos quidem viros; majores tamen, quia in laudem vetustorum invidia non obstat.

Niger. 14. Pythagoras mihi primus è memoria in linguam venit, Italiæ splendor clarissimus.

Put. diatr. 7. Cato, virtutum ille viva imago.

Put. diatr. 6. Quod ad mores indolemque, quid justius? quid sanctius, in omni antiquitate? Virtus ipsa domicilium Lacedæmone habuit: & consensu quodam in laudes masculi populi conspirasse Scriptores fere omnes videntur.

Severus Imperator gravis, & vir nominis sui.

Senec. ep. Paulo ante Demetrium retuli: quem mihi videtur rerum natura nostris retulisse temporibus, ut ostende-

ret

ret nec illum à nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi poſſe. Virum exactæ, &c.

Hæreo in exemplo: ac neſcio profecto, Indumne potius an Macedonem admirer? ille bello victus, hic ſermone: ille mora, hic momento, &c. Put. diat. 7.

Prodeat Pericles ille, cujus fulgura, toniruta, fulmina in concione viſa & audita metuerunt Athenæ; cujus leporem in ore ſeſſitantem admirabantur; cujus aculeos in animis auditorum relictos ſentiebant. Nigr.

Teſtimonia citandi.

NEque mihi difficile erit, neq; vobis, uti ſpero, moleſtum, ſi auxiliares Elogiorum copias conſcripſero, eduxeroque.

Hæc ita clara, ita explorata ſunt, ut fruſtra ſit, qui teſtium nubem in fidem vocaverit.

Ne forte vana iſta aut vilia videantur autoritate & fide deſtituta, prodite huc legiſlator Solon, divine Plato, naturæ rimator Stagirita, tuque eloquentiæ pater Cicero, *Merito cui doctior orbis Submiſſis defert faſcibus imperium.*

Cujus verba in præſidium advoco.

Habete teſtem non paſſis ſolutiſque verbis, ſed numerorum vinculis ſenſa ſtringentem gravia.

Nec diſſentiunt à me prudentes: Plato mihi præit, ſequitur Ariſt.———

Ad veteres provoco, & Antiquitatis magnum illud & venerabile tribunal.

Quod poeta his verſibus depinxit.

Aureum, facetum, & verum Bionis illud———

Exoſculor illam vatis non vani ſententiam.

Digniſſima eſt aureis inſcribi literis, menti commendanda penitus, & ſæpe memoria retractanda illa M. C. ſententia.

Quod effatum Ammonio, Dodonæo, Delphico, & alio quovis oraculo verius, protulit C.

Ad rem, & appoſite Tullius.

Nec vates ille vanus qui cecinit.

Decumanus eſt ille Philoſophi locus.

Præclare illa vox & præclaro viro digniſſima.

Plinius à me ſtat & fidem facit.

Oraculi pondus & inſtar habet illud Socratis.

Idque ampliſſima Taciti cenſura.

Cum Catone & dico & ſentio.

Seneca paucis verbis & vere.

A Xenophontis ore aureo purum putum illud aurum accipite.

Huc vero reſpexiſſe videtur Homerus———

Hic vero audiendus Cicero.

Solonis quidem ſapientis grave eſt illud elogium.

Non injuria exclamat ille.

Livius breviter & cogitatè ſcripſit.

Doctiſſimum rerum vatem L. ſi aſtricta aure audianus, ecce vobis certum ſolidumque ſententiæ noſtræ firmamentum: verſus ejus eſt———

Judicio meo ſuffragatur Philoſophus: Hujus rei locupletiſſimus teſtis eſt.———

Atque huic opinioni adſtipulatur Seneca.

Quocunque me oculis & cogitatione convertero, ſive judicium vetuſtatis, ſive lumen rationis, ſive honeſtatis decus, noſtræ ſententiæ ſerviunt & ſuffragantur omnia.

Ad Patres ſi quando licebit, accedere, confectum eſt prælium; tam ſunt noſtri, quam———

Theatrum univerſitatis rerum ponamus ob oculos, quicquid eſt uſpiam peragremus, omnia nobis argumentum ſuppeditant.

Egregii ſunt Euripidis verſus, quibus apud A. Gel. Chryſippus deteſtatur cupediarum indagines.

Audiatur antiquitas, & quod nos alteri ſuſpecti non poſſumus, illud omnium ſeculorum veneranda canities decidat arbitrio.

Prodeant Duumviri raræ elegantiæ, priſcæ doctrinæ, veræ virtutis.

Non temere igitur dictum, ſi Heſiodo credimus.

Ideo Plato prudenter monet.

Diſerte & appoſite canit ille vates.

Hoc verum eſſe teſtatur Catonis illa præclara ſententia.

Exſurge præco, fac populo audientiam, citato teſtimonium illius naturæ à ſecretis, magni illius ſcribæ Naturæ, Plinii.

Audite illud Virgilii. Aureum eſt illud Ariſtotelis dictum.

Niger. or. 5. Prohibent hoc ſubſidia literarum, quæ ſunt altrices laudum, educatrices gloriæ, famæ nutrices, antiquitatis teſtes, memoriæ cuſtodes & immortalitatis conſervatrices, quarum beneficio pleni ſunt libri poetarum, plenæ laudationes oratorum, plena hiſtoricorum monumenta, laudibus eloquentium, &c.

Quare bene ſciteque præcipit Philoſophus ille haud Vanus.

Illud

Illud sapientiæ sine luminibus venerandum lumen, Democritus.

Herodotus, Lac Musarum.

Thucydides Oculus verecundiæ.

Homerus, Poetarum antiquissimus; quem septem urbes sibi vendicarunt; Phœbus ille Poetarum, cujus tempora incerta, verba certissima. Qui Multa animo vidit, lumine cæcus erat.

Ἄριστος καὶ θεόπατος τῶν ποιητῶν. Sic enim Homerum appellat Socrates in Ione Platonis.

Homerum quidem ostentasse iter: ipsum autem aberrasse sine fræno.

Homeri musam appellabat Mulierem aulicam; nullius enim pudere eam nutricem insanæ sapientiæ.

Virgilius: qui cantu Musas, Phœbumque æquavit honore.

Latinus Homerus: Mantuanus ille vates: Poetarum Plato.

Cujus terga omnes poetas spectare notum est, ipsum esse extra metas.

Poetarum princeps: Conatus ultimus Musarum.

Virgilii Musa, Matrona.

Hesiodus, Divino afflatu Poeta verus: Ascræus ille senex.

Horatius: Numerosus ille Horatius: Latinus Pindarus, Lyricorum princeps, Venusinus ille vates: λόγου καὶ φθόνου κρείτ'ων. Romanæ fidicen lyræ.

Plato: Princeps ingenii & doctrinæ: Ille Philosophiam de cœlo devocavit: Non solum intelligendi, sed etiam dicendi gravissimus author. Divinus ille philosophus.

At Plato, Ciceroni Deus in philosophia, palmam tulit. Is orationem speculum mentis nuncupavit. Quis tibi Plato pulcherrimam hanc cogitationem immisit? Quam sublimè contemplans vim orationis, animus tuus ascenderat, cum hanc palmarem protulisti sententiam? Tetigisti rem non acu, quod dici solet, sed acie, sed acumine mentis. Nigr. or. 1.

Seneca: Latinorum philosophus: Præstantissimus animorum medicus: Optimus magister pessimi illius Neronis.

De suo ævo loquatur Seneca, nostrumq; sugillet. Quid Romanæ porticus Zeno præcipiat, audi. Lubet ipsius verbis Senecæ proferre sententiam.

Livius: Mare tranquillum.

Quid

Quid *Lucretius*, verſu poeta, re philoſophus?

Demoſthenes: Frequens & magnus auditor Platonis: quo nec Athenæ magis Atticæ fuerant:

————*quem mirabantur Athenæ*
Torrentem, & pleni moderantem frena Theatri.

Græcorum oratorum lex, & norma bene dicendi.

Qui unus inter omnes emicuit omni dicendi genere.

Cicero: exundans ille eloquentiæ fons. Perpetuus orationis Dictator.

Quaſi Deus Oratorum: ποταμὸς χρυσέο ῥέοντος.

Ἀνὴρ λόγου καὶ φιλοσοφίας. Flos illibatus populi, Suadæque medulla.

In quem natura omnes vires effudit: Anima eloquentiæ, Parens eloquentiæ.

Longe omnium qui ſcripſerunt aut locuti ſunt, copia dicendi & gravitate princeps.

Diſertiſſimus omnium Romuli nepotum.

Iſocrates: Eloquentiſſimus juxta & ſapientiſſimus ſcriptor.

Ex cujus ludo tanquam ex equo Trojano innumeri principes exierunt.

Qui verbis ſolutis numeros primus adjunxit.

Ariſtoteles: Venator Philoſophiæ maximus. Naturæ interpres.

Atlas ille Philoſophiæ. Philoſophorum oculus.

Peripateticorum princeps. Inambulantis ſcholæ Dictator.

Humanæ ſapientiæ promicondus ille, Ὁ τῆς φύσεως θαῦμα.

Cato: qui cum vitiis————Romanorum, bella geſſit.

Viva & expreſſa virtutis Imago.

De Longino Eunapius. Ἔμψυχος ille βιβλιοθήκη καὶ ἀξιακτὸν μουσεῖον.

Plutarchus: Qui ſummam Philoſophiæ ſcientiam cum hiſtoriarum eloquentia conjunxit:

Plautus. Decima illa Muſa Plautus.

Qui inter comicos familiam ducit.

Cujus verbis Muſæ uterentur, ſi Latinè loquerentur.

Audite noveno choro fratrem additum, jocorum patrem, riſuum, facetiarum.

Ob-

Objiciendi & Confutandi.

FAta mihi opponis? futilis hic aries, Langi, & qui Stoicorum nervis dirigitur parum firmis: libere dico, & illa ego sperno & Parcas, & cum Plautino militè, totum hoc anile agmen, uno spiritu diffl averim, ut folia ventus. Lipſ. conſt.

Quæ objicis, Sibyllæ quasi folia sunt, flatuq; rationis cito dispelluntur.

Scire prius aveo quid ingeniosa hic ubertas potuerit, quos aggeres, puteos, vineas in mœnia nostra egerit. Put. diatr. 7.

Quod vero objicis instar Achilleæ Panopliæ, nec hilum habet nec micam bonæ frugis.

Reclamat hic & tumultuatur adversarius, argumentum hoc non secus ac Ajacis septemplicem clypeum objiciens, aut Gorgonius caput intentans. Morin. exer.

His te literis, Homo audaciſſime atque amentiſſime, quasi Bellerophonteis jugulatum non sentis?

Annon vides, quam miserabiliter teipsum per caput & pedes in præceps dederis? Salmaſ. in Cerc. nerium.

Calumniæ, strophæ, convicia, maledicta, circulatricis linguæ probra, tota denique proluvies oris impuri, &c. Idem.

Quod vero in extrema oratione, quasi tuo jure sumpsisti, Oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque præessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum lege, primum Pythagorei omnes atque Democritici, cæterique in suo genere Physici, vindicarentque. Cic. de Or.

Pectines sunt isti Solis, turres Lamiæ, funes ex arena. E. Suar.

In quibus omnibus ne una gutta est sensus veri aut cordatæ sententiæ.

Nam ut arietem, cujus vi, & impetu maxime contendunt hoc nobile Morum ædificium diruere, verbo repellam.

Oberras usque eadem chorda, quod de luscinia Lacon, Vox es, & præterea nihil.

Impetus & malleolos hujus objectionis retundere in promptu est, in proclivi, facile. Lipſ. adverſ. Dialogiſt.

Om-

Tilen. Omnia conquisivisti lenocinia, omnia seplasiariorum myrotheca profudisti, ut putidâ rancidi dogmatis salsamenta tanquam papavere ac sesamo sparsa nauseanti stomacho commendes: sed frustra: nam-----

Ibid. Aheneo bonæ tam conscientiæ quam causæ muro fretum, bruta Ætneorum fulmina & Claudiana tonitrua non tangunt, certè non frangunt.

Virg. 6. Æn. *Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen*
Ære, & cornipedum cursu simularat equorum:
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit [non ille faces, nec fumea tadis
Lumina] præcipitemque immani turbine adegit.

Quod argumentum quia non ex Tripode, sed ex anicularum Trivio [quod in proverbio dicitur] acceptum est———

Morin. exer. Hoc effugium unicum est, quod cum aliqua veritatis specie hujus argumenti aciem possit obtundere; quam tamen elumbe sit & plumbeum telum, cernite———

Ibid. Vires argumenti non eludere modo, sed elidere aggredior.

Macrob. Sat. 7. 14. Sed quid laboramus opinionem sic inanem verbis verberare, cum ipsâ rei vanitas se refellat?

Nigr. 7. Or. Bona verba, quæso. Sedatis agamus animis; viam sapientum configuratam vestigiis teramus, non affectu aut opinione de curriculo majorum devii.

Tertul. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Apol. c. 8. Qui ista credis de homine, potes & facere: qui non potes facere, non debes credere.

Put. 9. diatr. Difficultas nimirum obstat, remoramq; facit. Ego tollam; cursumq; universum facilem & expeditum reddam, levi quodam diverticulo sive flexu; nec in transversum abire penitus est animus.

Sed erroris cubile deprehendi; novi locum in quo se jactent; adverto diverticulum, quo se recipiant----

Plut. apoph. Cum in picta tabula quidam videret Lacones ab Athenienſibus interfici, &, O fortes, exclamaret, Athenienses! superveniens forte Lacon, In tabula, inquit. Ita tabula hæc te fortem ostentat, sed picta; colores tandem tollamus aut velum, videamusque quis pinxerit leonem.

Arist. 1. Top. 8. & Eth. 1. ad Eudem. Duplices sunt opiniones, quædam habent aliquid stabilitatis, nec sunt examinandæ; quædam adeo sunt absurdæ & ridiculæ ut sua sponte evanescant; tales itaque non opus habent refutatione, sed potius castigatione & reprehensione.

Cic. 5. Tusc. Justin. l. 1. de Scythis. Memor itaque cum servis præliandum, verbera in aciem,

aciem, non arma adferenda duxi; omisso itaque ferro, virgas ac flagella paro. Respice ad hæc.

Sit ingeniosus, sit eloquens, sit exercitatus, sit omnium librorum helluo; tamen aridus appareat & balbus necesse est, cum hæc tam ἀδύνατα sustinebit. Campian 5. Rat.

Scitum est inter cæcos luscum regnare posse. Apud rudes sæpe valet ficata disputatio, quam schola Philosophorum exsibilat. Rat. 9.

Eccum quos gyros, quas rotas fabricat nugator hic verborum, atque sophismatum architectus? nescio cui formidolosus esse queat, molestus erit fortasse; molestiam prudentia vestra sublevabit, formidinem res eripuit.

Qui sic agunt, nonne se produnt? nonne facilè refutantur? Nonne in confessu talium virorum tenentur, ac minimo negotio constringuntur? Ibid.

Videbitis fore, ut milites istos qui post principia latent, in solem, pulverem, & aciem è suis umbraculis evocatos, non meis viribus, sed valentissima causa & certissima veritate debilitem. Rat. 2.

Fumulos hosce, ad veritatis lucem ubi ventum erit, minime laboriosum erit dispellere.

Origines cyclicorum fundamenta una oratione tanquam machina (ariete) ita commovit, altera tanquam culmine ita labefactavit; &c.

Punctim ferit sæpius quam cæsim, &c. quoties repetit ictum (repetit autem sæpe) toties adversarium de gradu deturbat: non terret tantum cum fulgurat sed munimenta hostis disjicit. Nigr.

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta Virg. 4.
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt. Georg.

Profiliat nunc aliquis factionis adversæ magistellus, attollat supercilia, suspendat nasum, frontem perfricet, quos ille ludos, quos jocos dabit? Camp. 4. Rat.

Cur non prodeunt adversarii, ut eos palam refellant, in quos ranunculi coaxant è cavernulis? Ibid.

Sed fremas & sævias quantum libet; manebit in unitate Ecclesia, &c. Turn. Or.

In anginam ego nunc me velim verti ut veneficæ illi fauces prehendam, atq; enecem sceleratam stimulatricem. Plaut. Mustell.

Grunniant gulones, gumiæ nostri, quique ætatem inter fercula conterunt; non audio. Put. 1. diatr.

Levia & infima, quibus ludas magis quam lædas; quæ rumpantur & recidant ad primum statim contactum contuitumque strictæ frameæ orationis: quare sic repugno. Ibid.

Quid.

Ibid. Quid ais? Satisne firmum hoc tibi, quisquis es, in rem nostram videtur? an à teipso patrocinium, adversarie, petam?

Diatr. 7. Eloquii tui machinas dejicere repentino nimbo propositum mihi non est; inspicere potius & examinare an validæ per se & expugnando sint, &c.

Ibid. Quid tu vero? veteres nobis, an novos libros revolvis? Si novos, nulla authoritate convellimur: si veteres, loca & verba profer, uti moveamur: in hac ipsa oratione tua, Platonem, Isocratem, Hesiodum, video, & tamen quæro prodeant ipsi, & vocis suffragia coram ponderentur; tuis verbis Plato probat, Isocrates negat, Hesiodus refert: quid si neque probet, neque neget, neque referat? *Semper oculata sunt manus nostra, credunt quod vident, &c.*

12. Diatr. Quæ in singulos effundis, inspiciam obiter, & verborum acrimoniam in os autoris retorquebo.

Ibid. Quid igitur? nodum stringam; obeliſco lychnum inferam, veru & lucernam utar. Nam detegenda hæc malitia est, & simul confodienda.

Ibid. Hæc linea premenda erat. Tu omissa hypera pedem sectaris, & laciniam nescio quam apprehendis: fallaci stylo oppugnas quod concessum est, & extra causam esse potest.

Ibid. Enim vero, ut aliquid ageres, agere hic nihil debuisti, vel, ne otiosus esses in tuo choro occupari. Nunc ingenii tui septa transilire voluisti, & de curru delapsus es.

Ibid. Quia nullo ingenio extorquere à pertinaciæ fomite ignem potes, verborum fumo & fuligine molestus es, & rerum lucem involvis.

Diatr. 7. Caput tollet pressum inani quadam argumentorum mole, non oppressum: molem enim magis sentio quam pondus; & verborum insidias potius quam vires. Quid mirum? Sic munita rationibus stetit causa nostra, ut nisi dolo ingenioque tentari non potuerit.

Claudendi.

Diogenes ad Mindios; Claudite portas, O Mindii, ne per amplas portas excurrat oppidulum.

Sen. citat. 7. Bonum, mi Liberalis, habeas animum: In manibus terræ; non hic te carmine longo,

l. Benef. 1. c. Atq; per ambages & longa exorsa tenebo.

Tum. l. or. Quare eloquentiæ amorem, quasi quendam igniculum, in vestris hodie animis excitarem, nisi è dignitate

tate eloquentiæ putarem non esse, vel tam pulchræ virgini ambire procos, vel tam potenti dominæ aspectatores conciliare.

Haberis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe, non nimis verecundi, qui quidem cum te, Crule, tum etiam L. Crassо audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Cic. 2. de Or.

His autem rebus Sol me ille admonuit, ut brevior essem; qui ipse jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pene evolvere cogit. 3. de Or.

Nec cum Plauto, Jovis magni causa, plausum emendicare statui. Plaut. amph.

Reliqua quæ, &c. si persequerer, non deesset oratio, deessent latera, quibus exclamarem, adeo, &c. O Deam Philosophiam! Turn. Or.

Sed finis sit: neque enim præ lacrymis jam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat. Cic. pro Mil.

Sed ut unde orsa est in eodem terminetur oratio mea. Cic. pro Marcello.

Non possum, Auditores, pergere, altitudo mysterii superat meæ dictionis tenuitatem, quare non est cur pergam. Orationis igitur vela contraho; vos videritis, &c. utrum, &c. Turn. Or.

Sed dum unitatis rationem ardore probo, &c. non satis vestræ patientiæ consuluisse videar. Idem.

Sed videor non tam vestræ humanitatis quam meæ felicitatis rationem habuisse, qui dum, &c. sim persecutus, in meo gaudio explicando nimis me effuderim: orationi igitur meæ modum statuo, à Deo immortali precatus, ut, &c. Idem.

Quanta ergo? Non queo (Aud.) statuere nec volo dicere: reliquam utriusq; laudem malo venerari tacendo, quam dicendo imminuere. Id. 10. Or.

Quod utinam cum bono aliquo publico sit, voveo & omnia tibi fausta. Put. 62. Epist. l. 2.

De qua non plura dicam, ne vestræ benignitatis aures quæ longius quam statueram provexit orationem meam, diutius obtundam ingratus. Nigron. 1. Or.

Jam vero, ne in vestram humanitatem injuriosa longitudine peccet hæc oratio mea; demittam & complicabo vocis meæ flaccescentis velum, non intermisso benevolentiæ vestræ flatu, sed virium mearum tanquam spiritu deficiente, jaciam anchoram in media navigatione, ut nova paucis post diebus velificatione subeam portum disputationis inchoatæ, atque fidem oppignoratam liberem. Id. 2. Or. 4.

Sed

Turn. Or. Sed ut aliquando extremum habeat oratio mea finem jam faciam, eo quidem libentius quod mihi vultus veſtri, & iſti in me oculorum intuitus, ſpem faciunt vobis cauſam eſſe probatam.

Idem. Videtis eò ſpectare orationem meam quò debent referri cogitationes, actiones, conatus omnes. Quo? non ad epulas, non ad honores, non ad Zelum. Quam rem expreſſi notam ſacerdotis; hanc exprimite notam, ſacerdotes. Quam rem explicavi perfectionem Chriſtiani hominis, hanc explicate Chriſtiani homines. Quam rem oſtendi Confeſſoris ſummam, lauream Martyris; hanc oſtendite ſummam, confeſſores, ut lauream conſequamini Martyres, quam intuebitur terra, quod fuit confeſſoris, & ſtupebit cœlum quod eſt Martyris.

Quod ſi ego in his orationis tenebris aggrediar, non ſolum videar velle veſtra abuti humanitate, ſed meæ etiam tenuitatis penitus oblitus eſſe.

Quam ego vobis, Nobiliſſ. Fratres, gratulor & æternum voveo.

Auſon. Paneg. Concludam orationem meam, piiſſime Auguſte, ſermonis magis fine quam gratiæ. Namq; illa perpetua eſt & ſpacio non tranſmeabit? terminum callis ignorat.

Nigr. 3. Or. Igitur finem dicendi faciam: præſertim, cum ex affectuum valle, in Capitolium Rationis ac Mentis aſcendere parantem currum orationis meæ, quo pene triumphans invehitur eloquentia, temporis ad dicendum præſcripti definitio, timorque ſatietatis veſtri ſufflaminat ac detineat.

Rogandi & Petendi.

Senec. 2. Benef. 1. MOleſtum verbum, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, *Rogo: &c.*

Nulla res carius conſtat quam quæ precibus empta eſt.

Liv. Nam quod ad theſauros Gallicos attinet, rem ſuapte natura facilem, difficilem veſtra interrogatio facit: cur enim quæritis quod ſcitis, cum quod in ſinu veſtro eſt, excuti jubetis potius quam ponatis?

Idem. Mihi quoque [quoniam reſpondi Himilconi, interrogare jus faſque eſt] velim ſeu Himilco ſeu Mago reſpondeat.

Sidon. ep. 5. lib. 3. Tribuere dignare votis ſuis, precibus meis, moribus tuis, ut ad ſoliditatem, *&c*, te patrocinante, proveniat.

Et

Et gratiam tuam tuique similium malo, quam jacto; magisque sum tantæ amicitiæ cupitor, quam gloriator: quoniam cupere nemo nisi qui verè putat, potest; potest vero quivis falso gloriari. Apol. 3. Florid.

Itaq; C. Cæsar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me merita, quod fieri jam posse non arbitrabor, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit. *Refertur & ad formam Gratias agendi.* Cic. pro. Mar.

Precatus deinde, si divus; si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset. Livius.

Alterum responsum, salutem, victoriam, lucem & libertatem: alterum ominari horreo quæ ferat.

Extenderem preces, nisi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epistola feciſſem. Rogat enim & quidem efficaciſſime, qui reddit causas rogandi. Plin. ep. 13. lib. 2.

Sed, amabo te, ita perpetuum fama te amet & virtus, ignosce. Lipſ. 2. cent. cent. 3. ep.

Benigne ad amicitiam provocas, & laudes adjungis: è quibus has vix agnosco, illam appeto pari tecum voto. Idem 5. ep. 2. cent.

Quousque & tibi & nobis invidebis, tibi maximam laudem, nobis voluptatem? Sine, per ora, &c. Plin. ep. 10. l. 2. Plin. 6. l. 8, ep.

In summa, nosti facetias hominis, quas velim attendas, ne in bilem & amaritudinem vertat injuria, &c. Quanquam quid denunciationibus & quasi minis ago? quin potius, ut cœperam, rogo, oro des operam, ne ille se, quod validiſſime vereor, à me, ego me neglectum à te putem; dabis autem, si hoc perinde curæ est tibi, quam illud mihi.

In fine orationis, præsides custodesque imperii Deos, ego consul pro rebus humanis, ac te præcipue, Capitoline Jupiter, precor ut beneficiis tuis faveas tantisque muneribus addas perpetuitatem. Audisti quæ malo principi precabamur, exaudi quæ pro diſſimillimo optamus. Non te distringimus votis; non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex, cunctaque ista complexum, unum omnium votum est, Salus principis. Plin. paneg. ad Trajanum.

Injurium quippe est magnopere flagitare, quod speres, ne quod est voluntarium videatur extortum. Symmach. 36. ep. 1. l.

Gratias tibi agam propediem, Cic. id est, non dubito quin præstiturus sis quod peto. Voſſ. interp. Cic. 4. l. c. 9.

Gra-

Gratias Agendi & Debendi.

Tibi & ſummæ obſervantiæ & gratiſſimi animi officioſa ſtudia debere me ingenue fateor, & præſtiturum ſanctiſſime recipio.

Qui ſi vitam pro dignitate tua profundam, nullam partem videar tuorum erga me meritorum aſſecutus.

Cui nihil amplius in votis, quem ut ſummæ obſervantiæ, officii, ſtudii, & grati animi argumentum aliquod apud te relinquam teſtatum.

Plurimis me tibi officiis devinctum habes; habes (ita me Deus amet) & ad quævis pro virili alacrem.

Horat. ep. Cic. vid. Angl. l. 4. *Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.*

Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar; majores etiam habemus.

Næ ego nequiter ingratus ſim, ſupraq; modum indignus, qui apud tantum Regem in ulla aut laude ſim aut gratia, ſi non cum ſummo obſequio atque obſervantia primam quamque occaſionem captavero teſtificandi, gratias animus meus quam multas habeat, quam plures debeat.

Apul. 3. flor. Qua digna oratione tam honorificam benignitatem ruam celebrem, qua remuneratione dicendi gloriam tui facti æquiparem, nondum hercle reperio. Sed quæram ſedulo & connitar.

Ibid. *Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.* Nam nunc impræſentiarum (neque enim diffitebor) lætitia facundiæ obſtrepit, & cogitatio voluptate impeditur, ac mens occupata delectatione mavult gaudere quam prædicare. Quid faciam? cupio gratus videri, ſed præ gaudio nondum mihi vacat gratias agere.

Ibid. Quinetiam univerſo ordini veſtro pro ampliſſimis erga me meritis quantas maximas poſſum gratias ago atque habeo.

Cic. pro. Mar. Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, ſed ne ſpe quidem prudens & ſciens tanquam ad interitum rerum voluntarium.

Plin. ep. 12. lib. 10. Cui referre gratiam parem nec audeo quidem quamvis maxime debeam.

Itaque ad vota confugio, Deoſque precor, ut iis quæ in me aſſidue conferſ, non indignus exiſtimer.

Sol-

Solvere se quod debebat; & adhuc debere quod solverit. Gratianus Imperator. Paneg. ad Gratianum.

O mentis aureæ dictum bracteatum! O de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam!

Accipe igitur & hos labores nostros C. C. animi grati erga liberalitatem tuam specimen. Majora & me debere & majestatem tuam decere, certo scio: sed in eo fastigio Deus Opt. Max. te collocavit ut animum benevolum ac gratum non minus velis, quam relatam gratiam.

Cui animum gratum quia in materia læta exhibere non contigerat, in ea quam iniquam fortuna esse voluit, magna cum laude, majore cum fide præstitit. Val. Max. 4. l. 7. cap.

Si quis hoc præstiterit, næ ille munus, aurum contra non charum, obtulerit: tantum ab eo beneficium accepisse me profitebor, quantum homini ab homine tribui potest maximum: neque vero sibi detraxerit, quod mihi contulerit; tam gaudebit ille dato, quam ego accepto: gratias agam usquequaq; referam quoque, si potero, & vicem rependam poscenti: σῶστρα debebo etiam non poscenti. Tilen.

———*Tibi se semper debebit Iason.* Ov. Met. 7.

Lætus, lubens, laudes ago; & grates gratiasque habeo. Plaut. Trinum.

Ago tibi gratias, Imp. Auguste, si possem etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem. Auson. pan. ad Gratian.

Quorum nomine, quia non queo tantum persolvere gratiarum, quantum debeo; saltem tibi ago gratias quam possum maximas debendo magis quam loquendo. Nigr. 1. or.

Tibi vota solvam gratias (ut Diis solet) sed sentiendo, quam loquendo plenius. Et gratiarum non minima pars hæc erit, Differre grates; ut cito jussa exequar. Alab. Rox.

Annon properandum mihi erat, ut pro eo honore vobis multas gratias dicerem, pro quo nullas preces dixeram? Non quin magnitudo Carthaginis mereatur etiam precem à philosopho pro honore, sed ut integrum & intemeratum vestrum esset beneficium, si nihil ex gratia ejus mea petitio defregisset: id est, ut usquequaque esset gratuitum: Neque enim aut, &c. Apul. 3. flor.

Hanc unam Cæsar habeo injuriam tuam; effecisti ut viverem & morerer ingratus. Furnius impetrata Sen. 2. l. de Benef. 25. c.

impetrata venia patri suo Antonianas partes secuto ab Augusto, &c.

Lipſ. Cent. ep. 14 Quid scribam? gratias agere me? ne concipio quidem: & affecisti me, in summo hoc beneficio, unâ hac injuria, ut vivendum & moriendum sit ingrato.

Plin. 13. ep. 7. l. Hunc hominem adpetentissimum tui (mihi crede) complectere, apprehende, imo, & invita, ac sic ama, tanquam gratiam referas: neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio, qui prior cœpit.

Plin. 13. ep. 2. l. Et tu occasiones obligandi mea avidissimè amplecteris & ego nemini lubentius debeo.

Ibid. Amatur à me plurimum, nec tamen vincitur.

Ibid. Beneficia tam grate interpretatur, ut dum priora accipit, posteriora mereatur.

Plin. 4. l. 1. ep. In hoc ego ut referrem gratiam (nam vinci in amore turpissimum est,) &c.

Lipſ. ep 1. cent. Enimvero tu rem & verba simul ad me mittis; ego quid nisi verba? Pudet gratias agere, tam expositæ, tam obviæ beneficentiæ; quæ, ut fontes sponte irrigat & dimanat.

Quod spiro & placeo, (si placeo) tuum est.

Horat. 1. od. 4. l. Irremunerabili quippe beneficio oppignoratus.

App. 11. Equidem, in quantum fieri præter jactantiam potest, gaudeo præstantissimi viri authoritate, si certus est; amore, si fallitur.

Mer. Sidon. 8. l. 6. epist. Et tui quidem erga me munera, dum vita supperet, æterna erunt.

Nero apud. Tacit. 14. Diogenes acceptis paucis nummis à Diotymo Carisio, dixit, Dii tibi dent animo quantum cupis ipse, virumque, Atque domum.

Annal. Ælian v. hist. 4. l. 7. c. Dii tibi omnes omnia optata afferant, cum me tanto honore honestas, cumque à vinclis eximis.

Plaut. Capt. At ego referendis tuis laudibus exiguus ingenio, & adhibendis sacrificiis tenuis patrimonio: nec mihi vocis ubertas ad dicenda quæ de tua Majestate sentio sufficit, nec ora mille, linguæque totidem, vel indefessi sermonis æterna series: ergo, quod solum potest religiosus quidem sed pauper, efficere curabo; divinos tuos vultus, numenque sanctissimum intra pectoris mei secreta conditum, perpetuo custodiens imaginabor.

Ap. 12. Met.

Plin. paneg. Ut intelligam etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar, & teneam, & indies augeam.

Opem

Opem Offerendi & Pollicendi.

FAc me certum quid tibi sit; juvabo te aut re, aut opere, aut consilio bono. Plaut. Ps.

Omnes tibi, ut pro aliis etiam loquar quod de me sentio, quoniam subesse aliquid putas quod cavendum sit, non modo excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum, pollicemur. Cic. pro Ma.

Si quid erit quod mea tibi possit ars efficere, & impera, & factum puta. Teren.

Nam de me illud vobis habeo polliceri, me beneficiis vinci posse, amore & egregia voluntate non posse; quod hoc sit in mea voluntate, illud in fortunæ arbitrio situm: nam bene merendi semper voluntas adest, facultas non semper.

Itaque si quid labori, vigiliarumque adjici possit, certantem secum ipsum annisurum, ut tanto de se consensu civitatis opinionem, quæ maxima sit, etiam constantem efficiat.

Respondit, & milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset, plures daturos; & quicquid aliud imperaret velletque Pop. Rom. enixe facturos: ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Livius.

Ἐι πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδων. Græcus quidam Augusto. Macr. Sat.

Dices; Oportet me tuis rebus ut meis uti: etiam, sed perinde illis ac meis parco. Plin. ep. 28. l. 6.

Proin studii certius est indicium, supra vires niti, quam viribus ex facili uti; alter enim quod potest præstat, alter etiam plus quam potest. Val. Max. 4 l. 8. c.

Reliquum est, ut ad omnia quæ tui velint ita sim præsto ut me non solum omnia debere tuâ causâ quæ possum, sed ea quoque quæ non possum, putent. Cic. Epist. ad Marcel. 8. l. 4.

Reddam vicem si reposces: reddam, si non reposces. Plin. 9. ep. l. 2.

Interea temporis, me vestræ Celsitudini obsequiis omnibus, sincerè pro eo ac debeo, & totum, dedo.

Hunc meis laboribus quà meliorem quà illustriorem redditum, Augusto nomini tuo inscripsi; & quæ antiqua formula votorum est, Libens merito donavi, dedicavi.

Ut ad constituendum ejus imperium contendisse virtus & fortuna viderentur. Flor. prol.

Ut jure sacerdotii precari deos pro te publicè possim, quos nunc precor pietate privata. Plin. 13. epist. l. 10.

Causam meam nesciens agit, qui à me ad vos literas portat. Nam dum votivi mihi sit gerulus opportunus officii, beneficium præstat quod se arbitratur accipere. Sidon, 5. ep. 6 l.

Laudandi.

ITa eloquens ut nemo ſapientior, ita ſapiens ut nemo eloquentior: perfectus utrobique magiſter, & tam prudentiæ fructu abundans, quam dictionis flore gratioſus.

Nigr. de Cic. Ille omnium generum, cauſarum, & locorum orator, mens curiæ, vox fori, lingua judiciorum; omnium gentium defenſor; cunctorum miſerorum & calamitoſorum patronus.

Non rhetor aut philoſophus ex vulgo, ſed vel orator natus in philoſophiæ ſpatiis, vel philoſophus florens, ex eloquentiæ myrotheciis.

Juli literatorum optime, & optimorum literatiſſime. Omne tulit punctum.

Vir inter optimos nobiliſſimus, inter nobiliſſimos optimus; inter utroſque doctiſſimus,

Vir ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoq; laudibus inſtructiſſimus.

Omnibus virtutis numeris dives.

Inter bonos optimus, inter doctos doctiſſimus.

Magis ſuo merito quam fortunæ beneficio magnus.

Avi tui (quanti viri, Deus bone!) hæres es.

Credite, optimi, & in quantum optus eſt, diſertiſſimi viri.

Hæc tantis animi dotibus reliquis omnibus præſtitit, ut in dubio eſſet, majorene corporis venuſtate, an mentis virtute eſſet; in ea tamen nihil admirabilius, quam quòd virum incredibili amore proſequeretur.

Val. Max. Demoſthenes, cujus commemorato nomine maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur.

Cic. pro Cœlio. Quæcunque in Equite Rom. dignitas eſſe poſſit, quæ certe poſſit eſſe maxima, ea ſemper in M. Cœl. habita eſt ſumma, hodieque habetur.

Quorum ipſa nomina ſunt inſtar æterni triumphi.

Nec vox hominem ſonat, O Dea certe!

Qui ſimulac pedem limine extulerat, omneis prope cives virtute, gloria, dignitate ſuperabat.

Per totum vitæ ſpatium optimus eſt habitus, ſed melior tamen fuit quam habitus eſt.

Ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

Cic. pro Roſc. Com. Qui, medius fidius (audacter dico) plus fidei quam artis, plus veritatis quam diſciplinæ poſſidet in ſe; quem Pop. Rom. meliorem virum quam hiſtrionem

nem esse arbitratur: qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam.

Magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum severissima senectus desiderat meam laudem. Ibid.

At in quem virum? qui tanta virtute & integritate fuit, ut etiam illis temporibus optimis, cum nominem invenire nequam neminem posses, solus tamen frúgi nominaretur, &c. Gracchus; cogis me, inquit, dicere inimicum meum frugi. Cic. pro Fronteio.

O perpulchram formam! Angeli videtur, non hominis, & tamen sacerdotis est, non Angeli; seu potius & Sacerdotis, & Angeli. Turn. 8. or.

Laudes illius numerandi potius quam poliendi (illud enim possunt aggredi, hoc assequi nullus.) Idem or. 11.

Non ferret tamen artis præscriptio, minutiora illa recensere, cum laudum maximarum torrens quidam me transversum abripiat. Ibid.

Non cecidit nobis pupula hominis insignis ostro, &c. sed non invenio vocem qua meam notionem exprimam. Princeps fortasse hominum, Grammaticè satis; Gemma Sacerdotum, Rhetoricè; Aristoteles quadratus, Philosophicè; cecidit miraculum hominis. Or. 14.

Ut putem me nativæ principis germanæq; virtuti lituram insperaturum aut labem, si ei ex gente laudem viliter emendicavero. Ibid.

Quanquam male pono momentum in una ejus voce, qui tota vita ita dixit, ita fecit, ut & vita verbo, & verbum vitæ, & utrumque fidei fecerit fidem.

Laudare hic memoriam, ille doctrinam, cuncti religionem. Macrob. 1. Sat. 24. c.

Vir meo judicio magnus, etiamsi maximis comparetur. Sen. 7. benef. 3.

Quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut offenderet nec illum à nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse. Sen. 1. ben. 8.

Qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vitâ sed prope immortalitate dignius vidi. Plin. 16. Epist. 5. l.

Quis ita affectet singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio. Sidon.

Facilitate sæpius quam industria commendatur. Quint. 10. l. 1. c.

Magna, Isæum fama præcesserat, major inventus est, &c. Plin. 3. ep. 2 l.

Quare cum vir bonus ab omnibus censeatur, Sidon 4. ep. 4. l.

non eſt homo pejor, ſi non eſt optimus.

Sidon. 17. epiſt. l. 4. Conſummatiſſimum virum, cunctarumq; virtutum conſcientia, & fama, juxta beatum.

Put. diatr. 7. Cójus ut facta, exempla; ſic verba, dogmata ſunt: in hiſtoriam utraque referenda ut æterna ſint.

Plaut. Capt. Quantum eſt hominum optumorum optume.

Val. Max. 2. l. 4. 2. Delapſa cælo ſydera hominibus ſi ſe offerant, veneracionis amplius non recipient.

Put. 4. diatr. Priſci candoris & humanitatis exemplum, gentis urbiſque ſuæ gemma reſplendens.

Plin. 26. ep. l. 6. Quo melior fingi ne voto quidem poterat.

Pl. ep. 9. l. 2. Quo nihil verius, nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi.

Sidon. 13. ep. 8. l. Camp. rat. De laudibus tuis cum canat multa, plus reticer. Dictorum ſanctitatem factorum conſtantia commendabat. Unum hoc difficile judicium, utra in eo virtus major, morum an ſcientiæ.

Idem. Cui vivo & mortuo innocentiæ fama conſtiterit.

Solin. c. 8. Multa præterea pollentiſſimis ingeniis edifferta, quæ præterire, quam inferius exequi, tutius duximus.

Ov. 7. Met. de Tneſeo. *Si titulos annoſque tuos numerare velimus,*
Facta prement annos.

Put. 1. l. 1. ep. Tu unus inſtar omnium es, qui tot unus virtutibus abundas, ut unus omnium laudes exhaurias.

Apud. 3. Flor. Quibuſnam verbis tibi, Æmiliane Strabo, vir omnium qui unquam Numantiæ fuerunt, aut ſunt, aut etiam erunt, inter optimos clariſſime, & inter clariſſimos optime, inter utroſque doctiſſime.

Apul. 4. Flor. Viri inter ſe mutuo, & vobis & utilitatibus publicis merito amiciſſimi, doctrina & eloquentia & benevolentia paribus: incertum modeſtiane quietiores, an induſtria promptiores ac honoribus clariores. Quibus cum ſit ſumma concordia, tamen hæc ſola æmulatio, & in hoc unum certamen eſt, urer eorum magis Carthaginem diligat, atque ſummis medullitus viribus contendent ambo: vincitur neuter.

Paneg. ad Max. & Conſtant. Nec tamen miranda iſta in te eſt, Maximiane, animi magnitudo, in quem dii immortales tanta congeſſerunt, & naturæ bona & ornamenta fortunæ, ut quamvis maxima largiaris, ita penes te ſint omnia, quaſi ea ſolus obtineas.

Sen. de Cic. præf. ad 1. cl. controv. Illud ingenium quod ſolum Pop. Rom. par imperio ſuo habuit.

Ibid. Nemo plus ingenio ſuo imperavit, nemo plus induſit.

Put. 7. diat. Euphanti ſodales ſunt elegantiæ & deliciæ meræ; quibus an quid ſuavius amœniuſq; Natura produxerit,

rit, jure dubites: habet uterque quicquid meteri invidiam poſſit, imo vincere.

De quo narrantur plurima bona: atque ea quidem à plurimis bonis. Sid. ep. 8. l. 7. Cic. ep. 12. l. 5.

Magna hæc laus eſt, laude non corrumpi; malle animi illum fructum conſcientiæ horreo conditum, quam rumoris aura ventilatum, ſparſumque. Sen. ep. 103. Put. ded. ad. 1. diatr.

Virtute tua, & doctrina excitor: quam utramq; ita conjungis, & exeris in patriæ & commune bonum, ut boni quique te ament, admirentur omnes. Id. 4. ep. l. 1.

Singularem in tanta dignitate modeſtiam, in conſiliis ineundis prudentiam, in capiendis religionem, in exequendis vigilantiam, in congreſſibus publicis animi præſentiam, in privatis lenitatem, in ſermonibus eruditionem, in verbis leporem, in moribus ſuavitatem, &c. Morin.

Cujus actiones omnes, maximas, minimas, Gratia virtuteſq; deperibant adeo, ut earum gloriam utræque ambiguo certamine vendicare ſibi viderentur. Idem.

Ille meus, ille tuus, ille omnium, occidit, Amor & delicium, hactenus meum, tuum, omnium, nunc meorum. Put. 13. ep. l. 3.

Ut ſi quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet. Flor. prol.

Quibus contigit diem illum triplici gaudio lætum celebrare, qui principem abſtulit peſſimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit. Plin. ad Trajan.

Huic ego nihil per me acceſſurum putavi: & tamen deeſſe nolui, ſciens judicio erga illum tuo nihil adjici poſſe, ſi ſcriberem; deceſſurum aliquid tamen meo officio, ſi tacerem. Symmach. 20. ep. 1 l.

Sed utcunq; virtutis tuæ opera curioſæ poſteritatis oculis artificum manus reddat, cum tu vel Alpium dorſa ſuperantem, vel, &c. Hæc pictorum atque fictorum aſſequatur imitatio: Clementia imp. quo colo, quo pigmento, quo ære, amore ducetur? Qua tu ipſius victoriæ victor ita omnem cum armis iram depoſuiſti, at ceciderit nemo poſt bellum. Pacat. paneg. ad Theodoſ.

Vituperandi.

Fœminæ pluſquam viri ſi audacia inverecundæ, viri pluſquam muliebri mollitie ac turpitudine effœminati. Cic. 2. in Verr. 3.

Homo factus ad iſtius libidines.

At homo interior, ignavior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula proferri non poteſt. Ver.

Cic. pro Quinctio. C Cassius (nunquam fine præfatione publici parricidii nominandus,) &c.

Cum ei natura nihil melius quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset : vocem in quæstum contulit ; libertate usus est, quò impunius dicax esset.

Cic. pro Rosc. Comœdo. Oro atque obsecro vos qui utrumq; nostris vitam inter se utriusque conferte ; qui non nostis, faciem utriusque considerate. Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam & clamitare calliditatem videntur ? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam conjecturam affert hominibus tacita corporum figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur ! Qui idcirco capite & supercilliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur, &c.

L. Pic. Mirand. Sordidos, rudes, ineultos ; quos nec vixisse viventes, nedum extincti vivant ? &, si nunc vivant, vivere in pœnam & contumeliam.

Tertul. Apol. 4. 4. c. De vestris semper æstuat carcer ; de vestris semper metalla sudant ; de vestris semper lautumiæ saginantur ; de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt.

Asseverandi & Obtestandi.

Cic. 4. Verr. NOn mehercule criminis augendi causa dicam, Judices ; sed quem accepi ipse oculis animoque sensum, hunc vere apud vos, & ut potero planissime exponam.

Turn. 11. Or. At ne putetis hæc non tam dici à me syncere ad veritatis involutam notionem explicandam, quam oratorie ad laudes ejus exaggerandas.

Nolite, quæso, Judices, brevitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine, crimina ponderare. Sed sistitis fortasse hic cogitationem vestram : cogitate adhuc, quod vultis maximum, vincam profecto cogitationem vestram. En.——

Corrigendi.

Liv. 3. dec. 6l. EAm opinionem si ratio labefactârit, si veritas extorserit : ne difficiles vos præbeatis.

Invitus ea tanquam vulnera attingo ; sed nisi tacta, tractataque, sanari non possunt.

Plin. 5. ep. 7. In summa (cur enim non aperiam tibi vel judicium meum, vel errorem ?)

Tilen. Plusquam Chironium ulcus non contentus sed pro meo

meo aperuiſſe, ſed medicari etiam pro virili aggreſſus ſum.

Epanorthoſis.

Defendere (ſi hoc eſt defendere, & non, &c.)

Hanc excogitavit rationem (ſi hæc ratio potius quam amentia nominanda eſt.)

Aufert: imprudens huc incidi Jud. emit, non abſtulit, nollem dixiſſe. Cic. Verr.

Sic vixit ut muliebria quotidiè convivia eſſent, vir accumberet nemo præter ipſum & prætextatum filium; tametſi recte ſine exceptione dixerim, Virum, cum iſti eſſent, neminem fuiſſe.

Non hoſpitii jus; ſed quid ego hoſpitii jura in hac tam immani bellua commemoro.

Quaſcunq; Martyres ſubierunt pœnas (ſubierunt maximi maximas.) Turn. or.

Humilitas tam fuit depreſſa in terram, ſeu potius tam fuit erecta in cælum, ut primas præripuerit omnibus, ſecundas vix reliquerit ulli. Ibid.

Hortandi, Suadendi, & Conſulendi.

PRudenter & te dignum feceris, ſi à ſcopo virtutis non declines.

Facilius eſt currentem (ut aiunt) incitare, quam languentem commovere.

Macte virtute, hac pietate in patrem patriamque T. Manli eſto. Macti virtute milites Rom. eſtote. Liv. 2.

Καὶ σὺ δ' ἀλκιμος ἔσσο· τέκος τίς σε φὴ δίζυρον ἔμμεν. Pallas ad Telemachum. Hom. Odyſſ. 8.

Non ſibi cohortandum Sulpitium & Cotram, ſed magis utrumque collaudandum videri, quod, &c. Quamobrem pergite ut facitis, adoleſcentes: atq; in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & reip. emolumento eſſe poſſitis. Cic. 1. de Or.

Vos vero è juventute iſta ad ſumma venietis, ſi à ſtirpe & indole non deflectatis ſi rectam hanc ſemitam, quam calcare cœpiſtis, inſiſtere pergatis, ſemitam, inquam, literarum ad ſerena ſapientiæ templa ſtratam. Put. 5. diatr.

Sed & reficit audientem certo ſingularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia. Nam & exhauſtis laboribus, noſſe menſuram, voluptati eſt; & hortatur ad reliqua fortius exequenda, ſcire quantum ſuperſit. Quintil. l. 4. c. 5.

Cic. ad Attic. 3 l. Quid te aut horter, quod facis; aut agam gratias, quod non expectas?

Qui monet ut facias id quod facis, ille monendo
Laudat & hortatu comprobat acta suo.

Me ad melioris sortis aleam movent & hortantur.

Plin. paneg. ad Trajanum. Facias ista semper, nec unquam in hoc opere aut animus tuus aut fortuna lassetur.

Ibid. Faciebas ergo, cum diceres optimos: nec ipsorum modo vita à te sed judicium Senatus comprobatur.

Plin. 17. ep. 5 l. Multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret quà cœpisset: lumenque quod sibi majores tui prætulissent, posteris præferret.

Tertul. de cultu fœm. c. 12. Meditemur duriora, & non sentiemus: relinquamus lætiora, & non desiderabimus: stemus expediti ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus, retinacula sunt ista spei nostræ.

Camp. rat. 10. Aurum, gloriam, delicias, Veneres, contemnite. Quid enim aliud ista sunt quam terrarum illia, canorus aer, popina vermium, bella Cerquilinia, &c.

Plin. 23. ep. 6 l. Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat.

Idem. 4. epist. 8 l. Proinde immitte rudentes, pande vela, ac si quando alias; toto vehere ingenio. Cur enim non ego quoque poeticè cum poeta.

Idem. 24. epist. l. 8. Accedit, quod tibi certamen est tecum——— Hæc ego tecum, quæ quotidie mecum; ut desinam mecum, si dissenties tu: quanquam non dissenties, ut qui semper clarum aliquid & immortale meditaris.

Idem. 9. l. 3. ep.

Sidon. l. 5. ep. 1. Nam satis eminet meritis ingenii proprii, qui fuerit fautor alieni.

Sid. 20. ep. l. 5. Gratulor tibi, quod istis moribus vivis ut necesse habeas electionem tui timere, laudo efficaciam.

Putean. ad Senat. Mediolan. Vos modo marcescere ætatis vestræ florem, ne sinatis; sed magno animo gradimini, ne citra annos ingenium consistat. Cogitate quam spem alatis, & quo viatico vobis utendum. Ad Theol. Jurispr. Medic. transitis? literarum hæc studia vos dirigent. Ad Remp. & latum clavum? ducent. Ad militiam & arma! hinc præcepta, hinc exempla suppetent. Sed quid ego ista copiosius? Bonas literas amare & tractare æque necessum est, ac non necessum laudare apud amantes.

Nigr. or. 1. Contendite honorario certamine cum ipsâ Natura, ut

ut quantum illa contulit artificium ad orationis munia, tantum vos item adhibeatis artem ad abſolutionem operis.

Ita diſciplinæ belli aſſuefcas domi, ut aliquando ex aula pergas ad caſtra; ex umbra in ſolem; è paleſtra in aciem; atque è ludicris pugnis in vera prœlia deſcendas: & luſoriis ornamentis in arma decertatoria commutatis, vel æques majores, vel etiam ſuperes. Ibid.

Laudo veſtrum animum, conatus probo, commendo ſedulitatem: vobis in tam fructuoſo labore ſtudii perſeverantiam exopto, mihi jucundiſſimam, gratiſſimam parentibus, vobis ipſis utiliſſimam; quam ſi retinueritis. Nigr. Or. 7.

Exclamandi, Querendi, Deteſtandi.

O Fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones! quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo curſu, obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt. Tul. de Or. 3.

O clementiam Pop. Rom. ſeu potius patientiam miram ac ſingularem! 6 Ver.

O ſcelus! O portentum in ultimas terras exportandum! non enim poteſt ea natura quæ tantum facinus admiſerit, hoc uno ſcelere eſſe contenta: neceſſe eſt ſemper aliquid ejuſmodi emoliatur; neceſſe eſt, &c. Act. 2. in Verr.

Quæ vox? quæ latera? quæ vires hujus unius criminis querimoniam poſſunt ſuſtinere——— 5 in Verr.

Me Chriſte! ——— me Deus!

Omnia, Judices, in hac cauſa ſunt miſera & indigna, nihil tamen acerbius & iniquius, quam——— Pro Roſc. Amer.

O divinam authoritatem, quam dum cogito, mente concido! O divinam poteſtatem, quam dum effero, lingua hæreo! Turn. or. 10.

Stupeo P. C. nec dum ſatis aut oculis meis, aut auribus, credo: atque identidem me an audirem an viderim interrogo. Plin. ad Trajanum.

Horror, & ſtupor, ubi eſtis: ubi lacrymæ & complorationes? ubi planctus & ejulationes? cui tam è pumice oculi, aut ita ex chalybe præcordia, ut non in lachrymas ſolutus totus fluat, fleatque?

Nec unquam fando auditum, & omnium quæ monſtra dicuntur, monſtroſiſſimum. Macrob. 5. 17.

Ingens, atrox, horridum facinus: quale nec anti-

quitas vidit, nec credent posteri; omnium denique flagitiorum compendium, in ferrei hujus seculi faces reservatum.

Monendi.

QUæ mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me admoneri nolim, rogari vel sine magno dolore vix possim.

Tul. 6. Verr. Quamobrem te quoque, Hortensi, qui monendi locus est ex hoc loco moneo, videas etiam atque etiam, & consideres quid agas, quo progrediare, quem hominem & qua ratione defendas, &c.

Videte igitur utrum sit æquius.

Quare si etiam monendi estis a me, quod non estis, Jud. video hoc leviter, pro mea authoritate vobis præcipere posse, ut———

Divinat. in Verr. Video non te sed hunc librum esse responsurum quem monitor tuus hic tenet: qui si recte monere voleo, suadebit tibi ut hinc discedas, neque mihi verbum ullum respondeas.

Non enim exprobrandi causa sed commonendi gratia dicam.

Ira irritatis militum animis subdere ignem & materiam seditioni non esse ætatis, non prudentiæ ejus.

Cic. fam. ep. 50. l. 4. Neque monere te audeo præstanti prudentia virum, nec confirmare, &c.

Apul. de Deo Socratis. Enimvero Socrates utpote vir apprime perfectus ex sese, & ad omnia sibi congruentia officia promptus, nullo adhortatore unquam indigebat; at vero prohibitore nonnunquam, &c.

Qui monet, ut facias, quæ jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Sidon. ep. 30. l. 5. Redde te tamen expectantium votis, expectantiumque charitatem proba, qui jam probasti pudorem.

Excusandi.

QUod mihi consuevit in cæteris causis esse adjumento, id quidem in hac causa deficit; nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentiam comparavi: quæ quantum sit, nisi tempus & spatium datum sit, intelligi non potest: & tot. Exord. pro Quinctio.

Si vires desint, tam æquum est æquos vos adversum me esse, quam ego adversus magnum illum Deum sum, quem scio non uni omnia dedisse.

Ego infirmitatis meæ deterritus conscientia.

Culpam deprecari, aut noxæ me eximere non poſſem, ſi repulſam à me patereris.

Amœnitates vero & copias, ubertateſque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipiſci potuerit: mea tenuitas nequaquam. A. G. Phaſo.

Quantum oratione mea nunquam æquem, quantum ſcribendo non conſequi poſſum,

Enimvero mirari ſatis non queo etiam te hæc deſiderare, quæ neque ego teneo, uti ii qui docent, neque ſunt ejus generis, ut ſi optime tenerem digna eſſent ſapientia & auribus veſtris. Cic. de Orat.

Qui ad illa arma fato ſuimus neſcio quo Reip. miſero funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur humani erroris; à ſcelere certe liberati ſumus. Pro. Marcel.

Judicavit à pleriſque ignoratione potius, & falſo atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate civile bellum eſſe ſuſceptum.

Non cupiditate, præſertim aut pravitate aliqua lapſi, ſed opinione officii, ſtulta fortaſſe, certe non improba, & facie quadam Reip. Pro Marcel.

Quo in negotio, tamen illa me res, judices, conſolatur, quod hæc quæ videtur eſſe accuſatio mea, non potius accuſatio quàm defenſio exiſtimanda eſt, &c. defendo enim multos, &c. Cic. divinat in Verr.

Verum id mihi non ſumo, judices, & hoc non modo in oratione mea non pono, ſed ne in opinione quidem cujuſquam relinquo meæ, &c. Ibid.

Cum vero, &c. profecto vereri non debeo ne quis hoc quod facio, non exiſtimat, ſummi officii ratione impulſum coactumque ſuſcepiſſe.

Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui cauſa dicere exiſtimes, adductum fide atque officio defenſionis. Etenim tibi ſi in præſentia ſatisfacere non potuero, tamen multæ mihi ad ſatisfaciendum reliquo tempore facultatis dabuntur. Cluentio niſi nunc ſatisfecero, poſtea mihi ſatisfaciendi poteſtas non erit. Cic. pro A. Cluent.

Agnoſco equidem me lyram Apollinis nunquam tetigiſſe. Mallem ſane confiteri veram ignorantiam, quam profiteri vanam ſcientiam.

Oratione (quam è temporis veſtigio natam & quaſi inter prima labra vix dixero me commentatum fuiſſe) perſtrinxi.

Quæ quidem omnia quoniam inſuavis materia devenuſtat, lectio benigna conciliet. Auſon. præf. ad 12. Edyl.

Perlege hoc etiamſi operæ eſt frivolum & nullius precii opuſculum; quod nec labor excudit, nec cura limavit, Id. ad 3. Edyl.

limavit, sine ingenii acumine & moræ maturitate.

Id. ad. 14. Eid. Igitur cui hic ludus non placet, ne legerit; aut quum legerit, obliviscatur; aut non oblitus ignoscat.

Tacit. Annal. 16. Etiamsi bella externa, & obitas pro Rep. mortes tanta casuum similitudine memorarem; neq; ipsum satias cepisset, aliorumq; tædium expectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen & continuos aspernantium. At nunc patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum & tristitia restringunt, &c.

Pacat. Paneg. Theodos. d. Huc accedit auditor Senatus, cui cum difficile sit; pro amore quo in te præditus est, de te satisfieri; tum difficilius pro genita atque hæreditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc & incultum, Transalpini sermonis horrorem: præsertim cum absurdæ sinistræque jactantiæ possit videri, ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit.

Ibid. Ita dum obsequio interpretor impudentiam, dum in eundem hominem non convenire puto gaudium & silentium, duas res diversissimas junxi, metum & temeritatem.

Apul. apol. 1. De eloquentia vero, si qua mihi fuisset, neq; mirum neque invidiosum deberet videri, si ab ineunte unis studiis literarum ex summis viribus deditus, &c.

Solin. c. 1. Cujus vel industria promptius suffragium, vel benignitas veniam spondebat faciliorem.

Pacat. paneg. Theodos. d. Dabitur utcunq; venia piæ temeritati, si usurpasse communia, non occupasse videamur aliena.

Θεόκριτος ἐροτηθεὶς διὰ τὶ ȣ̓ συγγράφει, ὅτι, εἶπεν, ὡς μὲν βȣ́λομαι ȣ̓ δύναμαι, ὡς δὲ δύναμαι ȣ̓ βȣ́λομαι, Stobæus. Macrobius transtulit; Quæ præsens locus & tempus exigit, ego non calleo; quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta, nec tempori.

Deliberandi.

Pro Rosc. Amer. DE quo neque quomodo dicam neq; quomodo taceam reperire possim: si enim taceam, &c.

Turn. or. 8. Quæ omnia ita trivit Oratoris oratio, ut cum tedeat loqui, pudeat tamen tacere, sed cum amor efficit, ut malim loqui cum tædio, quam tacere cum pudore, persequar illam coquorum laudatam consuetudinem, &c.

Pacat pan. Sed quid faciam? Novam quandam patior ex copia

copia difficultatem. Quid inquam, faciam?

Quum igitur impediat turba delectum, atque præstet gesta in summam referri, quam enumerando tenuari; dixisse sufficiat, Unum illum divinitus extitisse in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur. Ibid.

Quæ vos per hosce annos appetistis atque voluistis, ea nunc si repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide appetisse, aut nunc temere repudiasse dicamini. A. Gel. ex or. C. Gracc.

Vereor mehercule ne aut gravioribus utar verbis quam natura fert, aut levioribus quam causa postulat.

Utrum impudentius à sociis abstulit? An turpius meretrici dedit? An improbius Pop. Rom. ademit? An audacius tabellas publicas commutavit? Pro Quinct.

Neque enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus in præsenti velis, quam quid semper sis probaturus. Plin. ep. 7. l. 1.

Quid hoc homine faciatis? Aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? Act. 2, in Ver.

Illudendi.

TUm iste vir opt. (vereor ne derideri se putet quod iterum jam dico opt.) Pro Quinct. Cic. Nar.

Non comparat se tecum gratia P. Quinctius, Nævi: non opibus, non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit, fatetur se non, &c. non habere domum clausam pudori & sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati & voluptatibus, &c. Cic. pro Quinct.

Itane vero? Tu ille es qui censuram hic nobis sine suffragio geris? Tu provides ne quid Resp. capiat detrimenti? Bene est: state firme cives hoc tibicine & destina? Sed tamen ego magistratus esse putabam, quibus hæc curæ, &c. nisi tu unus plus sapis & vides quàm cæteri omnes, *O mi senex, omnes videmur nobis saperdæ, festivi, belli, cum simus copreæ.* Lib. adverſ. Dialogiſt.

Ite igitur, & si ita vultis, facultates divinas prostituite; cœlo emissum animum humi prostratum adfigite, sensus rationi præponite: pergite esse virtutum proditores, vitiorum jumenta, voluptatum mancipia.

Minandi.

VIdesque, ô Juvenis, hoc dictu quam factu difficilius esse, vel factu quam dictu expromptius. Cæsar. ad Mitel. Trib. impedientem.

Et

Plut. 6. Verrin. Et ſi me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, ſatis vehementem, ſatis perſeverantem, ſatis vigilantem cognorunt; exiſtiment in iis hominibus, quorum ego inimicitias Pop. Rom. ſalutis cauſa ſuſcepero, multo graviorem & acriorem futurum.

Chion. in ep. Ὁι θεάσεις, ποτὲ εἰς ἰρικλον ἐλθὼν, ἀνάπηκτον πρὸς λύγκας ἔκας Θ.

Plaut. Quod ſi te perpetraſſe comperero, pejus cruce & furca lueres, nec ad commiſerationem me flecteres etiamſi fleres ſanguinem.

Metuendi & Obſtupeſcendi.

TAmen ita deos mihi velim propitios, ut cum illius diei mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit, non ſolum commovcor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.

Qui tandem iſtius animus eſt, in recognitione ſcelerum ſuorum, cum ego ipſe in commemoratione eorum non ſolum animo commovear, verum etiam corpore perhorreſcam? venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem; verſantur ante oculos omnia.

Horret animus tanti vitii imagine.

Turn. 11. An hoc quicquam potuit audire majus? audivit, audivit, quod cum dicere conor, lingua ſuppreſſis faucibus fluitans palato inhæreſcit. Nam ad tantum myſterium enunciandum opus eſt non Oratoris alicujus voce, contentione, lateribus; ſed Cherubinorum ac ſeraphinorum linguis, ardore, flamma. At quid poteſt latere tantum? habet hoc quidem quod ſum dicturus flagitii ſpeciem, veruntamen ſi non renuatis audire, audeo quidem dicere, non renuitis: meruit L. audire &c.

Plin. ep. 22. Si quis forte te, quod abominor, fallat.

Male & bene precandi.

Androm. ad Ulyſſ. Sen. Troad. 696. verſ. Drex. in Ætern. 9. SIc te reviſat conjugis ſanctæ torus, annoſq; dum te recipit extendat ſuos Laerta! ſic te juvenis excipiat tuus, & vota vincens veſtra felice indoli. Ætate ævum tranſcendat, ingenio patrem! miſerere matris.

Plaut. Aſin. 3. Act. Veritas te amet; mi N. & ſapientia; tam enim hoc ſapienter, quam vere dixiſti.

Dii te ſervâſſint ſempet cuſtos herilis, decus populi, theſaurus

thesaurus copiarum, salus interioris corporis, amorisque imperator.

Tantum tibi boni Dii immortales duint. Plaut.

Dent tibi, Cæsar, ætatem Dii, quam mereri, serventque animum quem dederunt. Pseud. 3. Plin. Paneg. ad Trajan.

Quid isti benignitati precer? nisi ut semper obliges, obligeris, incertumq; facias utrum magis expediat civibus tuis debere tibi an præstitisse. Ibid.

Digna vota quæ semper suscipiantur, semperque solvantur. Ibid.

Pro nobis ipsis quidem hæc erat summa votorum, ut nos sic amarent Dii, quomodo tu. Ibid.

Nos inter secunda omnia & vota certantia, quæ præsenti tibi conferuntur, vehemur alacres. Ibid.

Quo majore fiducia iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro & obtestor: si bene Remp. si ex utilitate omnium regit, primum ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves: deinde ut quandoq; successorem tribuas, quem genuerit, quem formaverit, similemq; fecerit adoptato. Aut si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresq; aliquem quem adoptari in Capitolio deceat, Ibid.

Deum precor, conatum meum felicitet, teque V. C. nobis & Reip. servet. Plut. 4. ep. 5. l.

Quod superest, Deum posco; ut te filii consequantur; aut, quod plus decet velle, transcendant. Sidon. ep. 7. l. 8.

Dii tibi omnes omnia optata afferant, &c. vid. Plaut. Stich. 2. form. Grat. agendi.

Propino tibi salutem plenis faucibus.

Ita mihi meam voluntatem spemque reliquæ vitæ vestra Pop. Rom. existimatio comprobet, &c.

Ita amor hic inter nos perennet, quem colimus auspice & teste immortali tuo patre.

Ita perpetuus inter nos amor sit, mi L. ut cum aculeo discessi à vobis. Lipsi.

(Ita meus mihi genius faveat) (Dii meliora piis.)

Tu salve, & idem voveo Holmanno. B. & cæteris collegis.

At vos salus servâssit. Plaut. Cistel.

C. Cæsari filiæ suæ filio, cum eum in Armeniam mitteret Augustus precatus est a Diis, gratiam Pompeii, audaciam Alexandri, fortunam suam concedi. Plut. Apoph.

Dii illum infelicitent omnes, qui, &c. Plaut. Pæn. 2.

Dii te eradicent.

Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus, Domine, pariter & solvi- Plin. ep. 35. l. 10.

ſolvimus; precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemper ſignari.

Put. Vivite & annum hunc, & ſeculum hoc feliciter incipite atque tranſigite.

Put. diat. 10. Ergo florete, felices viri, Senatorio munere vere digni, florete urbes non muris magis turribuſq; quam Rectoribus munitæ, incrementa capite, quæ nulla unquam vis hoſtilis, nulla militiæ calamitas lebefacter.

Eumenes ad milites ſuos. Juſtin. l. 14. At vos devota capita reſpiciant Dii perjuriorum vindices; taleſq; vobis exitus dent quales vos ducibus veſtris dediſtis. Nempe vos idem paulo ante & Perdiccæ ſanguine eſtis aſperſi, &—— Ultima nunc ego perfidorum victima has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorreſque omne ævum in hoc caſtrenſi exilio agatis, devorentque vos arma veſtra, quibus plures veſtros, quam hoſtium, duces abſumpſiſtis.

Conſolandi.

Cic. fam. ep. l. 5. NAm quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit id nos præripere conſilio prudentiaq; debemus. Etenim ſi nulla unquam fuit liberis amiſſis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus.

Plin. ep. 16. l. 5. Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: ſic recens animi dolor conſolationes rejicit, ac refugit, mox deſiderat & clementer admotis acquieſcit.

Cic. fam. ep. l. 4. Neque monere te audeo, præſtanti prudentia virum, nec confirmare, *&c.*

Ibid. Illud tamen me vel monuiſſe vel cenſuiſſe puta, vel propter benevolentiam facere non potuiſſe, ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas.

Homines ſane ſumus, & urit illud, Avelli. Soletur te quod non in longum. Lipſ. Cent. 2. Ep. 30. tota Ep. 55. 64. 67. Senec. ep. 67. & 99.

Turn. or. 15. Non prius conquievit, quam è cœlo ſpei & conſolationis auram aliquam ſentiſceret.

Plin. ep. 1. l. 3. Quibus ex cauſis neceſſe eſt tanquam immaturam mortem ejus in ſinu tuo defleam: ſi tamen fas eſt aut fiere, aut omnino mortem vocare; qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita eſt. Vivit enim, viverque ſemper, atque etiam latius in memoria hominum & ſermone verſabitur, poſtquam ab oculis receſſit.

Fuit,

Fuit hoc luctuosum suis acerbum patriæ, grave bonis omnibus. Sed ii tamen Remp. casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso à Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia Senatum, non luctum filiæ, non exilium generi, non non-non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset. Ego vero te, Crasse, cum vitæ flore, tum mortis opportunitate, divino consilio & ortum & extinctum esse arbitror. Nam tibi—— Cic. 3. l. de or.

O noctem mihi omni deinceps die clariorem! O numerandam candido lætitiæ calculo! vos pergite officiosæ lachrymæ, & alio nunc affectu fluite: madere gaudii rivis jam debet facies. Put. Diatr. 9.

Vide Sulpitii ep. 5. l. 4. & 5. epist. 12. Lucceii & 16. epist. Cic. Consol. Sen. ad Polyb. Marciam, Helviam matrem. Plut. ad uxorem, & ad Apollin. Hieron. ep. &c. enumeratas à J. G. Vossio, l. 3. institutionum, c. 4.

Judicem Compellandi.

Cassi hæc, te Ephoro, peragatur: parva quidem si mores nostros spectes, magna si antiquos; & sic prudentia, doctrina, authoritate tua digna, atque in parte tua. Put. Diat. 7.

Dies dictus est, & tu judex, vir clarissime, ut inter nos pronuncies. Neq; superstitiose tibi causam meam commendabo, neque neglectim. Tu ingenio rectus, judicio acer, non oculis sed animo ipso Argus, veram & incorruptam sententiam per te laturus. Id. Ibid.

Itaq; si tuo unius judicio justam causam laudasse ac defendisse videar; honesto elogio clarus apud bonos, laudatusq; sum. Claritas enim, ut pulcherrime Seneca, non desiderat multa suffragia; potest & unius boni viri judicio esse contenta. Nam bonos omnes bonus unus judicat. Ibid.

Moderandi & Dijudicandi formulæ.

Apud Indos præstabile quoddam genus hominum fuisse memoriæ traditum est, quos Gymno-sophistas vocabant. Hi neque periti erant propagandæ vitis, nec inoculandæ arboris, nec proscindendi soli. Non illi norant arvum colere, vel aurum colare, non equum domare, vel taurum subigere; non ovem vel capram tondere, vel pascere. Unum pro his, & illud omnium summum, norant; Sapientiam colebant, tam magistri senes, Apul. Flor.

senes, quam discipuli minores. Apud hos ubi mensa posita, omnes adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem convenerant, perrogabant magistri, quod factum, à lucis ortu ad illud diei, bonum fecissent, Alius se commemoravit aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse, alius sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse, alius se inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgatâ suspicione, amicos ex intensis reddidisse. Qui nihil habuit adferre cur pranderet, impransus ad opus foras extrudebatur.

Xenoph. Cyri pæd. 1 l. Atque utinam mihi, prandii tantum dispendio, liceret hinc discedere, ac ne forte ficut Cyrus quondam, qui puer à Magistro judex duobus aliis pueris datus, quorum alteri grandiori tunica erat brevis, alteri minori tunica erat longa, pronunciavit utrique magis convenire, si vestes inter se mutarent; sua deinde & ipse tunica exutus, vere Gymnosophista factus verberibus excipiebatur, quod contra jus dominii nec secundum leges sententiam tulisset: sic & ego litis hodiernæ constitutus arbiter (in qua tu, Longine, majusculorum patronus, magna voce sonas, manuque tota, *Ineſt ſua gloria magnis*; Tu, Minuti, breviorum tueris partes, & in pedum digitos erectus exclamas, *Et ineſt ſua gratia parvis*) Thesea expectarem vindicem, si utrumque ad Procrustis lectum dimensus, alterum detruncandum, extendendum alterum pronunciarem, meritas vel me judice daturus pœnas sententiæ ex æquo magis, quam ex justo latæ. Sed aliam longe controversiæ hujus dirimendæ rationem mihi ineundam video: quocirca ———

Anthol, β. λ. Litem aliquando intenderat surdus surdo; sibi trimestrem ædium pensionem deberi clamitans. Reus se illa nocte foras usquam prodisse pernegabat, ut qui domi pernox molam versarit. Judex æque surdus, hunc, illum intuitus. Nam quid, inquit, super hac re contenditis? Annon utrique vestrum mater est? Uterque alat, jus & æquum postulat. Ergo sane surdus non sum; & tamen absurdus essem, & dignus qui male audirem, si modo ex allegatis vestris sententiam ferre vellem, qui non surdi solum sed & cæci, Andabatarum more digladiantes, à ratione præcipites toto errastis cœlo. Quo enim tu tantum mihi lævus abis? quid? An in Contemplationis altum? Tu vero quo tam diversus? an in cæca Practicæ saxa? Quin me

me ſequimini, ad tutæ pacis & tranquillæ quietis portum———

Plato quoties à magiſtro ſuo Socrate diſſentire lubuit, excuſare ſe ſolitus, Amicum ſibi eſſe Socratem, magis amicam Veritatem; invidiæ mox ſuæ vindicem habuit & Ariſtotelem diſcipulum, quem etiam ingratitudinis nomine Pullum vocabat equinum, ut qui, lacte ſatur materno, calcibus matrem peteret. Hic itaque ſi quando à magiſtri placitis diſcedere in animo haberet, profiteri ſolebat, Amicum ſibi eſſe Socratem, amicum Platonem, ſed maxime amicam Veritatem. Abſit modo invidia, judicio pronunciatum ſano, exemplo utili. Sic diligendi ſunt amici, ut non diligantur eorum errores. Neque enim placet naſo duci, aut auribus trahi, ut pedibus eam in alterius ſententiam non prius examinatam probe ad veritatis ſtateram. Turpe vero cum ſit, ex omnium rerum dictatore atq; domino intellectu facere mancipium alienæ libidinis: Diſcernamus quas è metallis veſtris erutas attuliſtis maſſas in exploratore aurei veritatis conflatorii igne, idque ſeparatim———

Ælian. Var. hiſt. l. 4, c. 9.

Ariſt. Eth. Nicom. l. 6. 1.

Scalig. exer. 6. ſect. 4.

———Atque utinam mihi in manum daretur libra illa Critolai, qui cum in alterum lancem animi bona imponeret, in alterum corporis & externa; tantum propendere illam boni lancem putavit, ut terram & maria deprimeret.

Cic. 1. Tuſc. qu.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ
Ὤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο, λίπεν δὲ ἑὸν Φοῖβος Ἀπόλλων.

Homer. Iliad χ.

Jupiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letbum.

Virgil. Æn. 12.

Περὶ μὲν οὖν ῥᾳθύμου μὲν ἀμελοῦς δ' ἀκροατοῦ καὶ δυσχερανοῦς, καὶ τοῦ πάντα κλίνειν ὡς ἐπὶ πλάστιγγος πρὸς ἡδονὴν ῥᾴστου δύναμαι, πολὺ δ' ἄμεινον ἴσχει μὲν καὶ τῆς εὐπειθείας καὶ τῆς ἀποτεθείσης.

Flutarch. de educat. puer.

Veri-

Veritatem, quæ (ut opinabatur Democritus) in profundo mersa puteo latet, vos binæ quasi situlæ, aut gemini φρεάντλεις certatim vicaria opera eaq; strenua, eruere laboravistis. Ad quam quia uterque summa fiducia affectare videri vultis, videamus & nos, ne forte quod fieri solet, altercando amittatur veritas, utrum remota erroris nebula, sublato opinionis velo, sedato denique affectuum vento, pura illa sit, simplex & sincera, uti prætenditis. Primum itaque prodeat———

Diog. Laert. l. 1. Chilo jam ætate provectus, dum modo vitæ anteactæ virtutibus vellet frui, modo vitia recensere, ut censura sua in ea animadverteret, dixit: Se sibi per totam vitam non conscium fuisse ingratitudinis; una tamen re se modice moveri, quod cum semel inter amicos illi judicandum esset, neque contra jus agere aliquid aut decernere vellet, persuaserit amico judicium à se provocaret; ut sic nimirum utrumque, legem & amicum servaret———

Plutarch. Apoph. Themistocles à duobus amicis suis cooptatus litis æstimandæ dijudicandæque arbiter, ingrati muneris invidiam declinare volens, judicium aversatus est, inquiens, Nolle se ex amico transire in judicem, ne ex amico jam utriusque, cogeretur in alterius transire inimicum———

Simonidi petenti à Themistocle ut in causa quadam iniquè judicaret: Neque tu, inquit, si præter modos caneres, bonus esses poeta; neque ego, si præter leges quid decernerem, magistratus probus———

Xenophon, ἀπομνημάτων. In deserto hoc bivio cum Hercule anceps animi hæreo. Hinc mollis mihi sese offert via rosis violisq; consita: illinc ardua via & acclivis intercluditur dumis spinisque aspera. Utram tandem insistam à Virtute & Voluptate, luculenta utrinque oratione admonitus, vixdum constat. Tu comes blanda hortaris———

Homer Odyss. α. Unde oculis meis repente oborta in tam clara luce caligo; Unde menti stupor, cordi genibusq; tremor? Mihi ipsi qui vobis moderator datus sum, moderamine opus est. Quis me Tiphys, quis Deus geminis hisce interceptum monstris expediet? *Hac rabiosa premit canis, hac lutulenta ruit sus.* Hinc latrat sæva *luxus* Scylla, inde vorat vomitq; *Avaritia* Charybdis. Quis mihi dabit, inter vastum gurgitem atque infamem naufragiis scopulum, iter tenere medium? Tu mihi sola Ratio, Circe, Calypso, Heleno potior, dictabis

Arist. Eth Nicom. l. 2. c. 8.

dictabis medium; Νῆα δὲ τὴ καπνῷ καὶ κύματος ἐκτὸς ἴδρυεν, per illud potius extremum in quo minus peccatur, à quo plus imminet periculi, ad portum tendere; ἄπειπολὸ φέρτερον ὄξυ.

Ἐξ ἐπάρης ἀνὴρ ποθήμεναι ἠδ' ἄμα πάντες.

In contentione Divitiarum, Nobilitatis, Honoris, Voluptatis, Scientiæ, Virtutis, &c. de summa felicitatis sede, poterit Moderator ab initio usurpare, aut etiam in orationem profàm solvere illud Lucretii.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis, Lib. 2.
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa, tua sine parte pericli.
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ:
Certare ingenio, contendere nobilitate:
Noctes atque dies niti præstante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum mentes! O pectora cæca!
Qualibus in tenebris vita, &c.

Optimo sane consilio eductæ utrinq; copiæ, summa arte instructæ acies vestræ concurrerunt fortiter, dimicarunt strenue: obstinatis usque adeo animis obnixæ non cedere *dum gravis aut has, Aut has versa fuga victor dare terga coegit.* Faxo tamen ut *motus hosce animorum atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescant.* Proinde è ductoribus acie revocatis, deterior qui visus detractis pinnis discet humi serpere; melior *vacua regnabit in aula,* & triumphans *caput inter nubila condet*——— Ex Virg. 4. Georg.

Vipereos agnosco dentes, & lethali prætincta veneno semina. Colchica hæc sementis, ubi è serpentinis dentibus nati terrigenæ, in sua, in parentis viscera infestis animis armatas convertunt manus. Neq; enim nisi literis instructi, & eloquentia deliberi, illarum castra obsidere, hujus arcem oppugnare potuissetis aut etiam ausi fuissetis. Quum tamen destructum itis sic eloquenter, ut vel hoc ipso adstruatis, quo destruere præsumitis. Ita nihil eloquentiam destruere præter Ex Ovid. 7. Metam.

prætер eloquentiam poteſt: ideoque nec ipſa poteſt, quoniam ſcilicet hoc quoque poteſt quod omnino non poteſt. Ne tamen Cadmea forte victoria rem ad internecionem plane ducat; jam tempus adeoque diſcrimen poſtulat, ut ſilicem meum in medios jaculatus hoſtes, depulſum ab eloquentia Martem in ipſos convertam. Inteſtini itaque ferri licentiam vel ſic dearmatum venio ——

Put. diatr. 7. Militiam ſi intuemur? non turba, ſed diſciplina ad victoriam facit; non quam multi, ſed quam boni pugnent; etiam in oratione ſtabit victoria non à numero & multitudine, ſed robore & vi argumentorum.

Huc mentem adhibeatis, juſtane an injuſta dicam, hoc enim Judicis officium eſt, Rhetoris autem vera loqui.

Medorum judices, ferebant prætextas vittatas loris, & in capite tiaram. Atque hinc tiara cuique, cui appendet ad ſiniſtrum latus opus è margaritis fimbriatum, alteram aurem ejus qui geſtat obtegens. Quibus ſignificabant, aurem quidem rectam accuſatoribus dari, rectam vero accuſatis ſed abſentibus reſervari.

Philippus inter duos malos judex conſtitutus, alteri ut è Macedonia abiret, alteri ut eum perſequeretur, imperavit.

Mercurio deferenti pomum Eridos, Joviſque mandatum, reſpondet Paris. Videte autem quale à me judicium expectet vel etiam exigat, qui de me prius tam inique judicavit, hominum deorumque moderator ſummus. Qua enim fiducia mortalis ego, utique opilio & è plebe bubſequa, cujus neque fori neque ſubſelliі res eſt, quæ in certamen venit, decernam hanc litem anxiam & ancipitem de immortalium dearum forma? quarum etiam præſentiam tremulo horrore expaveſco, nondum ſatis aut mitiſſimo ipſarum aſpectu, aut molliſſimo vocalis dei affamine confirmatus. Quanto melius ipſe ſibimet ſumpſiſſet hunc judicii calculum, formarum ſpectator elegans, cupitor ardens, potitor notus? Sed video quid velit; declinare ſcilicet, & à ſe amovere vult tantæ dijudicationis invidiam, & in me tandem derivare. Jam olim docuerunt me rex ille aſininis donatus auribus, & vates oculis mulctatus, quam periculoſæ machinæ ſubeat aleam, quicunq; veſtras dirimendis controverſiis arbiter adſcitus fuerit. Quod ego vos, ſereniſſimæ dominæ, oratas exoratas velim, quoniam Jovis ſummi nullatenus per hunc Argicidam

gicidam diffugere authoritatem licet, ut ſententia (quod factu neceſſe eſt) ſecundum unam pronuncieta, reliquæ duæ ſpe ſua fruſtratæ, me conjugis patriſque veſtri ſortitione judicem electum, rejectione veſtra non improbatum, nec offenſâ excipiatis, nec odio aut vindicta proſecutum eatis. Agite igitur pulcherrima numina, veſtras peroratæ cauſas, veſtras prædicate dotes, namque hinc etiam venuſtatis commendatio, formæ conciliatio; dum ego interea temporis, me recolligo, totuſque divino huic ſpectaculo addictus, exactiori luſtratione ſingulas & ſingulares formas rimer, penſioreque examine de iis judicem.

Papæ! quale ſpectaculum, quanta pulchritudo, quæ undique voluptas? hic certè eſt, ubi Argus fieri velim, quo tot ſimul oculis tanta devorem gaudia. Quam venerabile & regium fulget præſtringitque tum oculorum tum animi aciem Saturno digna proles, Jove matrona, oculis veneranda, ulnis candida? quam inſuper imperiis pollens, quam muneribus potens, diademate caput cincta, ſceptro innixa, divûm incidit Regina, & vera inceſſu patet Dea! par rotandis cœlis, regendis terris, calcandis inferis: quo æquior (ita mihi faveat Saturnius) factus ſum Ixioni tam divinam formam ambienti, rotamque cui affixus ſequiturque fugitque vel uno illius amplexu, utcunque per ſubmiſſam nubem imaginario, redimere præoptem. Illa verò, quam ex facie agnoſcas, conſilii æque ac fortitudinis dominam, ex galeæ cono, oleaginâ redimito corona, lauro tamen præcincta; ſcias belli pacisq; mediam: namque & ægidem quatit, & haſtam vibrat, patris æmulata fulmen armipotens virago, belli ſpolia, pacisque ſimamenta præ ſe ferens: medio tamen inter gratiam & terrorem tenore, nullis non obſequiis votiſque expetenda, niſi in perpetem & pertinacem juraſſet virginitatem. Sed & hæc, dii boni! quam egregio decore conſpicua? neque ex parte ſpecioſa, ſed tota amabilis, amicabilis, admirabilis, divumque hominumque voluptas alma Venus, intecto corpore perfectam formoſitatem profeſſa, colore in ſpeciem diviſo teſtata ortum; candida, quod cælo demeat: cærula quod mari remeat. Erubeſcunt punicantes in genis roſæ, horrent ſororiantes ſub pectus mamillæ, liventes paſſim per cutim tranſlucent venulæ, per diffuſas undique ambroſia comas renident humeri eburnei; quam denique vel ſic, neque gemmato ceſto cinctam, neque

Orationes trium Dearum excipit hac Paridis ſententia. Quam ſi platum cerne ſenſero, & illas & alias hujuſce generis dabit iterata editio.

neque Gratiis gratiſſimis comitatam, neque ſuis cupidinibus circumfuſam, commendat dulcis riſus, non dedecet ipſe nævus, & ſupra omnia apud me valet ipſius oratio; qua ſe mihi daturam nuptui pollicetur quandam formæ præcipuam, ſuique ſimilem, candidam utpote è Jove cygno ſatam, teneramque ut quæ in ovo nutrita fuerit. Valeat itaque imperandi libido, faceſſat bellicæ gloriæ ſitis; habendam in hoc certamine rationem pulchritudinis, monent & Jovis juſſa, & Mercurii mandata, & ipſius aurei pomi inſcriptio, *Pulchra capiat.* Hoc igitur cape tuo jure, O Venus,

Nam tua forma deam, me judice, vincit utramque.

Et alias diſcernendi litium formulas, litem ſecundum alteram partem dandi, vel ampliandi, licebit affingere ex judicio Dolabellæ, & rejectione mulieris Smyrnææ ad Areopagitas. A. Gel. 12. l. 6 c. ex Val. Max. 8. 1. vid. & judicium Galatium Val. Max. 2. l. 8. c. Licinii Fimbriæ. l. 7. c. 2. Jul. Cæſ. Sen. de benef. 5. l. 24. c. Philippi & mulieris. Val. Max. 6. l. 2. c. Cambyſis. l. 6. 3. c. Claudii de muliere non agnoſcente filium, Suet. Claud. 15. c. Alexander alteram occludebat aurem, reo ſc. reſervatam. *Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuerit.* De judicis officio in litibus. A. Gell. 14. l. 7. cap. & 4. cap. & Cic. pro. A. Cluentio. Judicium Pop. Rom. parum honeſtum inter Ardeates & Aricinos. Liv. 1. 3. & Val. Max. 7. lib. 3. c. Ampliationis. N. L. *non liquet.* Aſconius, Cicero, Liv. &c. Ptolomæi, Ælian. Var. hiſt. lib. 14, cap. 43, Philippi dormitantis Plut. Apophth.

AD implendum paginam hoc loco viſum eſt titulum libri inſerere, qui, niſi fallunt de eo teſtimonia doctiſſimorum omnibus literarum ſtudioſis per quam neceſſarius eſt futurus, h. e. Paralipomena *Orthographiæ, Etymologiæ, Proſodiæ, una cum Scholiis ad Canones de Genere Subſtantivorum, de Anomalis, præterito & ſupinis Verborum, Syntaxi, Carminum ratione, & Figuris, ex optimis authoribus Grammaticorum Coryphæis collecta, in 4 libros diſtributa. Per clariſſimum & admodum doctum Joan. Daneſium, in* 4to. *venaliſque habetur apud Philem. Stephanum ſub aurato Leone, in Cæmeterio Sancti Pauli. Apud quem etiam ſunt venales illæ editiones operum Virgilii & Martialis, quas edidit Farnabius cum uſus ſuis ſub ipſius correctione prælum curantis impreſſa.*

IN-

INDEX
POETICUS,

Commonſtrans,

Deſcriptiones, Comparationes, Alluſiones, Ritus, Locos communes, Fabulas illuſtriores, *&c.*

Quæ habentur apud Poetas, veteres & recentiores, majorum & minorum gentium.

LONDINI,

Typis *J. Richardſon*, Impenſis *G. Conyers*, & *M. Wotton*, 1689.